PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, nuperiſque Concionatoribus loci hujus Argumenti.

Hujus mundi bona nos beatos nequeunt efficere.

MOrtalibus ſatis perſuaſum eſt, ſe opibus, honoribus, voluptatibus beatos fieri non poſſe. Fallacia bona poſſunt obiter quidem illos detinere, at explere non poſſunt; quapropter cor ſemper inquietum indeſinenter de objecto in objectum tranſvolat. Omnia illi quidem generatim bona mundi conquirunt, ut ſingula poſtmodum rejiciant; millies in eadem recurrunt objecta, & millies eorum tædio afficiuntur. Vita eorum non aliud eſt, quam ambitus deſideriorum, tædiorumque, votorum, & nauſearum. Veſpere contemnitur, quod mane deſiderabatur; quod nunc placet, mox nequaquam placebit. Quo magis aliquod objectum requirunt, eo magis illud fugiunt, & cor in jugi hoc votorum, ac repulſarum æſtu perpetuo mœrore conficitur, neque aliud ſperare poteſt ſolatium, quam miſeram ſæpe mutandi voluptatem. Solatium triſte, ſeſe præſenti faſtidio liberari non poſſe niſi per aliud, quod priori ſuccedit! *Specimina ſermonum pro Quadrageſima, ſermone pro Dominica prima.*

Dei ſpiritus miram mortalium reputans inſaniam, qua vera relinquentes bona, quæ ipſos vere beatos poſſent efficere, falſa bona depereunt, per Prophetam *Pſalm.* 4. ita illos alloquitur: *Filii hominum, uſquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* quod egregie explicat Sanctus Auguſtinus *in Pſalm.* 4. dicens; cur bonorum omnium abjectiſſima, & poſtrema conſectamini, tamquam optima eſſent, ac prima? *Ut quid tamquam prima, extrema ſectamini, quod eſt vanitas, & mendacium?* Vultis eſſe beatos per ea bona, quæ ſine ulla comparatione ſunt vobis deteriora. Animam habetis æternum, non ſecus ac Deum, victuram, eamque felicem efficere vultis tranſeuntibus bonis, & velut umbra evaneſcentibus: animam habetis, quæ vos Angelis pares facit, eamque beatam ſtudetis efficere illam ad brutorum conditionem dejicientes per hæc falſa bona, quæ quæritis, & quæ vobis ſunt cum ipſis jumentis communia. Cum vos beatos arbitramini bonorum omnium noviſſima poſſidentes? *Liber cui titulus: Chriſtiana rudimenta pro 22. poſt Pentecoſten Dominica.*

Pauci ſunt chriſtiani, qui aliquo modo terrenis rebus non hæreant.

Non loquor in hoc loco de tot pravis Chriſtifidelibus, qui hoc nomen gerunt, ut illi dedecus afferant; qui tantum abeſt, quod gemant ob eam neceſſitatem, qua terrenis his bonis carere non poſſumus, ut non aliam norint voluptatem! quam illis frui; & qui intra ſe omnem alterius vitæ ſpem haud ægre abjicerent, dummodo in hac ſemper poſſent permanere. De illis autem loquor, qui vero æternæ vitæ flagrant deſiderio, & qui ad eamdem pervenire conantur. Etenim quotuſquiſque hujuſmodi bona vere faſtidit, ea fugit, quantum in ipſo eſt, vel dolet, eum ſe iiſdem videat obnoxium? Non ideo tamen contendo, nos affici nequaquam debere iis rebus, quæ ſenſus noſtros alliciunt, & dolorem potius, quam gaudium percipere ex iis, quæ aliis afferunt voluptatem. Hæc ſingularis, & perrara gratia eſt, quam pauciſſimis Deus elargitur. Illud vero affirmo, ad hoc, ut vere Chriſtiani ſimus, nos aliquo dolore affici debere ex voluptate, quam in neceſſario bonorum terræ hujus uſu percipimus, cum intelligimus cor noſtrum illis adhæreſcere, atque non ex ſimplici neceſſitate illa conquirere; ſed ex quadam propenſione, quæ neceſſitatem hanc nobis jucundiſſimam facit, & quæ ſæpe etiam ultra neceſſitatem nos rapit. *Ibidem.*

Conſiderationes faciendæ ſuper mundi hujus voluptates, & gaudia.

Quid tandem mundus hic eſt, ut illum adeo inſane depereamus? Memoria veſtra altius omnia, quæ experti fuiſtis, gaudia repetite; recordamini ſimul curarum, quæ illa vel præceſſerunt, vel ſubſecutæ ſunt, amaritudinum ſecretarum, quæ illis virus adſpergere ceſſarunt, circumſtantiarumque moleſtarum, quæ omnem earum ſuavitatem turbarunt: mementote medici temporis, quo permanſerunt, laborum, quibus ſteterunt, ſtimulorum, quos vobis pepererunt, tædiorum, quæ poſt ſe reliquerunt. Hæc omnia comparate cum hac voluptatis umbra, quæ adeo celeriter elapſa eſt, & videbitis, mundum cum omnibus illecebris ſuis ne unum quidem cordis veſtri ſuſpirium mereri. Itaque quotieſcumque ſeſe vobis offerret mundus cum fulgore hoc, qui faſcinat, & quo ad nos perſtringendos utitur, cum objecta his omnibus decorata illecebris animos veſtros ſollicitabunt, ut eos ſibi honores, qui uni debentur Deo, deferatis; cum magnificarum pomparum intuitus, ubi vitium triumphum agere, & ubi vanitas omnia Evangelii præcepta conculcare videtur: cum hæc omnia, Sanctus Chryſoſtomus ait, in cordibus veſtris cupiditatem hanc excitabunt, quæ ſemper, ubi eſca admovetur, flammam protinus corripit, recordamini, Sanctus hic Doctor ait, pacti, quod cum Deo percuſſiſtis: ſum Chriſtianus, in Baptiſmo abrenunciavi mundo, & pompis ejus, nulla mihi ſalus ſperanda eſt, niſi promiſſi fidem præſto. *Specimina Panegyricorum. Panegyrico pro die Sancti Joanni Evangeliſtæ.*

Qui mundi voluptates amat Deum ex toto corde amare non poteſt, quia cor ejus diviſum eſt.

Gloriarine poteſtis, vos unice, ac ſine ulla diviſione diligere Deum, vos qui voluptates concupiſcitis, & miſere ſenſibus veſtris ſatisfacere quærit: vos, quos mundi illecebræ faſcinant, & qui eidem placere gloriamini? Verum enim vero vos audire mihi videor dicentes, quamquam vos mundus alliciat, vos tamen Deo cordis veſtri partem integram, inviolatamque ſervare. Heu! quid dicitis? Deus totum cordis veſtri amorem ſine ulla diviſione repoſcit: hunccine illi citra ſummum nefas negare poteſtis? Verum poteſtiſne in mundo aliquid invenire amore veſtro dignum præter Deum? Poteſtiſne amare divitias, quin experiamini ſpinas, quas ſecum gerunt? Poteſtiſne bona veſtra poſſidere ſine affectione, illa tueri ſine cura, illa amittere ſine mœrore? Contemnite ergo mundum hunc, dum præterit, S. Auguſtinus ait, & ne expectetis, donec illius contemnendi tempus cum eodem tranſierit. *Ibidem.*

Terrenorum bonorum cupiditas inſatiabilis eſt, ac ſemper ulteriora deſiderat.

Humanum cor explerine poteſt umquam terrenorum poſſeſſione bonorum? Haud ita ſane. Nova ſemper parturit deſideria, neque dicit umquam ſatis: ſemper inquietum, ſemper ſollicitum, ſemper avidum, ſemper objectis, quibus allicitur, apertum, quin in ullo quieſcat. Seſe continere novit? vel potius nonne ſemper accidit, ut inter ipſam affluentiam credens ea, quæ habet, ſibi jus conferre ad ulteriora quærenda, numquam dicere ceſſet: *Affer, Affer.* Date, afferte, congerite, accumulate mihi bona, honores, voluptates. Cor cæcum! infatuatum cor humanum, quo hac inexplebili cupiditate contendis? Putas te beatum futurum? quære igitur veram beatitudinem, verum bonum perſequere. Is eſt humani cordis character, ut nihil niſi Deus illi ſatisfacere, illud valeat explere. *Sermo Manuſcriptus.*

Quam difficile eſt humanum cor explere! Statim ac ſibi affectiones patitur imperitare, ea omnia cupiens, quibus afficitur, iis ſe mancipans rebus omnibus, quibus deſideria ſua poſſunt expleri; ſequens perniciſſimum ſuæ cupiditatis curſum, numquam dicentis ſatis; ſua illectum aviditate, quæ deſideria ſua ab uno ad alterum polum extendit, hydropico ſimile, cujus ſitis ſemper augetur, prout bibendo illam revelare conatur. Experientia, quæ ex omnibus rationibus una maxime ſenſibus patet, & quæ efficit, ut digitis quodammodo rem attingamus, nonne palam neceſſariam hanc docet veritatem? Hic homo cupidus exempli gratia aliterne affectum depromit ſuum, quam per hoc verbum, *affer, affer*? Aliterne loquitur libidinoſus de voluptatibus ſuis? Ambitioſus de iis honoribus loquens, quos appetit, nonne hoc ipſum dicit? ſi cupido dicis; divitiis affluis; nequaquam, ille reſpondet: licet locuples videar, nihil fere poſſideo; & ſi ea ſpecto, quæ cupio, me vere paupere puto. Libidinoſo dic cordi, ipſum eſſe debere ſua ſorte contentum, vitam illius eſſe veluti circuitum voluptatum, quarum una ideo ceſſare videtur, ut alteri locum faciat. Falleris, ſubdit; peto, & quæro longe majora. Quid autem homo ſuæ ambitionis mancipium? audies illum; inter honores, præſtantiſſimaſque dignitates altius evehi contendo. *Idem.*

Ut ſis in hoc mundo felix, hujus mundi bona tibi optanda non ſunt.

Alterius vitæ felicitas eſt votorum omnium complementum; felicitas vero vitæ hujus eſt omnium deſideriorum annihilatio. Ut in hoc mundo beati ſimus nihil ex hoc mundo nobis optandum eſt. Creſcunt deſideria, prout id obtinemus, quod deſideravimus, poſſeſſio eorum, quæ concupivimus, fovet deſideria, non animam explent. Anima, exempli gratia, hoc ſingillatim bonum deſiderat; etenim ſenſibus, fallacibuſque opinionibus hominum decepta ſibi perſuadet futurum, ut bonum illud ſibi ſatisfaciat; at videns hanc aquæ guttam eſſe in abyſſo, ad alia feſtinat objecta, quæ ſenſus illi exhibent tamquam bona eidem explendæ ſatis accommoda. Si hac in vita omnium votorum ſummam conſequeremur, numquam alteram cogitaremus; ideoque Deus, a quo diligimur, rem aliter diſponit... Quidam in lectulo ardenti febri laborat, quæ immodicam illi ſitim parit. Sitis duplici ratione poteſt extingui, vel ægro potum præbendo frigidæ tanta in copia, quæ eam prorſus tollat, vel auferendo febrim, ſitis ejuſdem cauſam; ablata enim cauſa ceſſat effectus. Si ægrotanti optio daretur, quis ambigit, quo minus mallet febrim expelli, quam calicem frigidæ ſibi dari? Etenim quamvis poſt frigidam immodice hauſtam fieri poſſit, ut ſitis relevetur; ſi remaneat febris, non multo poſt iterum ſitis redibit. *P. de la Colombiere in chriſtianis conſiderationibus.*

Deſiderium bonorum hujus mundi eorum poſſeſſione augetur.

Prima hominis terrena cupientis pœna deſiderium eſt, labor, humilitas, ad quam ſe demittit, ut ſibi ſatisfaciat; obex deſiderio ſuo, incrementum deſiderii per obicem ipſum: quodcumque petis, te felicem efficere non poteſt, poteſt autem infelicem. Illud vero conſtans eſt, quod res concupita deſiderium non explet, ſed auget. Primum quidem communis res aliqua optabatur, cujus facilis erat acquiſitio; ſed ubi illam obtinuiſti, producit deſiderium eorum, quæ rariora ſunt, pretioſiora, & ad acquirendum difficiliora. Remedium non aufert malum, ſed auget. *Idem.*

Vera felicitas in hoc mundo non invenitur.

Numquid in hoc mundo ad veram pervenimus felicitatem, quam omnes homines naturaliter deſiderant? Mundi voluptates, quæ ſatietatem afferunt, honores, gloria, & divitiæ, quæ numquam explent, omnia fallacia bona, quorum alia faſtidium, alia famem cient, quæ cuncta tamquam fumus evaneſcunt, & quorum uſus ſemper infinitorum malorum mixtione, ac terribili imagine mortis, in qua tandem deficiunt, turbatur, poſſuntne hanc felicitatem producere? .... Unicum deſiderium omnes affectus excitat, & fieri nequit, quominus omnium ferocium belluarum harum tyrannidem ſubeatis, ſi uni tantum voſmet deditis voluptati. Quamobrem S. Paulus dixit: *Radix malorum cupiditas. Idem.*

Fallaces promiſſiones mundi, qui nos fallit, & decipit.

Ex mille mortalibus, quos mundus in favoris ſui ſpem adducit, vix unus, & ne vix quidem illum aſſequitur. Ubique videntur homines decepti, qui ſe ipſos angunt, atque toto conantur pectore, alii quidem ut opes, alii vero ut honores conſequantur; hi ut provinciam aliquam obtineant, illi ut aliqua voluptate perfruantur: interim vero quot laboribus exercentur univerſi? quot adeunt pericula? quot injurias, ac repulſas tolerant? quot vigilias, curas, mœrores requiem eorum perturbantes, atque ipſorum valetudini detrimentum afferentes? quot hominum conſilia mors fregit? quot tunc etiam, cum ambitionis ſuæ fructu propediem ſe perfruituros ſperabant, momento in extremum contemptum ceciderunt? *P. Aurelianenſis ſermone de Tintationibus.*

Summi etiam viri, & qui beatiores videntur, ſuas habent curas, atque dolores.

Nequicquam mundus oſtentat quidquid magnificentius in feliciſſimis fortunis, in opulentiſſimis domibus, & in ampliſſimis affinitatibus nitet; ubi per otium iſthæc omnia ad examen vocentur, liquebit præclaris hiſce ſpeciebus longe plurimas miſerias celari. Quin etiam privatæ familiæ interiora ſcrutemur, ubi vir, conjux, filii, famuli juges mœrores, iraſque cient, proximorum importunitas, initorum conſiliorum incertus exitus, cura progrediendi, metuſque de gradu acquiſito decidendi, nonne neceſſario magnas fortunas, magnaſque dignitates ſequuntur? *Ex moralibus ſermonibus.*

De omni mundi felicitate generatim dici poteſt, nihil in ea pulchrum eſſe præter ſpeciem, atque figuram; *Figura hujus mundi.* 1. Cor. 7. Sed verum eſt, Salvatorem de divitiis loquentem, quod aliis etiam mundi bonis applicari poteſt, abuſus, & fallaciæ vocabulum adhibere: *Fallacia divitiarum.* Semper enim promittunt, quod dare non poſſunt, ac res longe aliter, quam ſunt, nobis oſtendunt. Verum enim vero tandem omnis eorum fallacia deprehenditur; quod tamen nimis ſero accidit &c. *Ibidem.*

Vitæ hujus felicitas inanis eſt.

Omnia in hoc mundo fallacia ſunt, nihil ibi præter ſpeciem. Fallax magnitudo, quæ non aliud eſt, quam umbra, quæ diſſipatur, quæ viros principes ob ſuam elationem ſuperbos, in affluentia pauperes, & inter omnia proſpera miſeros efficit. Fallaces honores, qui plurimas gignunt pœnitentias, qui nos quidem palpant, ſed ſimul etiam ſeducunt, qui falſum nitorem habent, & nihil ſolidum; honores, qui tamquam præeminentiæ putantur, quibus debetur reverentia, & qui pro rerum veritate, non aliud ſunt, quam ſpecioſæ ſervitutes. Bona fallacia, quæ nonniſi multis laboribus, & curis acquiruntur, quæ cum anxietate, ac metu ſervantur, & nonniſi ſummis cum doloribus amittuntur. Fallax ſapientia, quæ omnes induſtriæ ſuæ curas exerit, quæ dolis nectendis tantummodo vacat, & quæ ſæpe lumine deficit, ut ſeipſam cognoſcere nequeat. Fallaces amici, qui nos ad tempus diligunt, ſed qui nos decipiunt, cum de nobis bene merentur, quia ſæpe ſunt affectionum noſtrarum inſtrumenta. Amici, quos utilitas retinet, quos proſper quidem fortunæ curſus tuetur, adverſus autem avertit. Fallax potentia, quæ ſæpe miſeros, vel nocentes facit. Denique, ut verbo me expediam, hoc in mundo omnia ſunt falſa: *Omnia imaginaria in hoc ſæculo, & nihil veri.* Tertullianus ait. *Auctor Anonymus.*

Mundo nihil fere primigeniæ pulchritudinis ſupereſt, neque debet amplius nos allicere.

Hactenus de inextricabilibus ſæculi inſidiantis illecebris, de honoribus, opibuſque ſermocinatus ſum, tamquam ſi jucundus blandimentis ſuis mundus vigeret. Quicquid eſt, illarum rerum facies, adumbratis quondam nitoribus expolita, jam obſolevit, omniſque fucatus ſplendor intercidit. Vix jam hoc habet mundus, ut fallat. Periit imago illa rerum ad decipiendum uſque decora. Priori ſeducere veros fideles non poterat fulgore; minus igitur ſui veteris ſplendoris reliquiis eoſdem corrumpere valet. Solidis bonis carebat, ecce deficit etiam caducis. Non hunc aut ad tempus ſpecioſa ornant, aut in poſterum manſura confirmant. Niſi noſmetipſi decipimus, pene mundus decipere nos non poteſt. *Deſumptum ex Epiſtola S. Eucherii ad Valerianum.*

Nihilum, & vanitas honorum mundi videtur in pulvere, qui unus poſt principum mortem ſupereſt.

Turbo, quo rapimur, nobiſcum trahit quoque mundi bona, magnificum hoc nihilum, ſuperbaſque vanitates, quas prætereuntes videmus, eas non amplius viſuri; atque tumulum verſus agit nobilitatem, & magnificentiam, ſceptra, & coronas. Tempus, quod paulatim nos atterit, quod deſtruit, abſumitque ea, quæ magis durabilia videntur, eſt velut ingens flammarum fluvius, in quo tamquam in placato, tranquilloque mari navigamus in abiegna cymba, quam ignis ubicumque permeat, & quæ quam primum eſt in cinerem redigenda. Omnia prætereunt, vel jam præterierunt, quomodo vero poſſumus, ex nobiſmetipſis eſſe felices, quandoquidem nequimus ſubſiſtere? Stoici ſuperbi, qui non diutius permanſiſtis, quam vanitatis veſtræ ſomnia: imbecilles terræ vermes, qui nunc in nihilum veſtrum rediiſtis; terra olim tanta ſuperbia animata; cinis, & pulvis, dummodo tempus triſtia hæc vobis nomina reliquerit, deſinite ſaltem in ſepulcris veſtris ſuperbire; dicite quanam in veſtrum parte quærere debeamus præſtantiam, & beatitudinem veſtram, de qua tantopere gloriabimini. *Auctor Anonymus.*

Mundum amamus quamvis mundus nos odit.

Adhuc autem mundum antatis, qui vos fugit, perſequitur, afficit injuria: licet infenſus ille ſit vobis, vos tamen eum magis quam antea diligitis. Querebamini olim, ipſum vobis eſſe impedimento; modo vero talis non videtur amplius; crudelis eſt, immitis, ac primus omnium eum punit amorem, quo illum proſequimini. Quid illa mulier agit in mundo? quid expectat? quæ chimerica eam retinet ſpes? Cur ſalutem ſuam non cogitat? Non aliud illi conſilii capiendum ſupereſt, quam ut receſſum cogitet. Ita mundus loquitur. Vos tamen ad inſaniam uſque illius amore capti eſtis; & veluti ille, qui omni amiſſa ſpe aquis ſubmergitur, adhuc tamen naufragii veſtri reliquias ſervare conamini. Dedecet eſſe velle in mundo eo in ſtatu, in quo vos mundus repellit; nonniſi fabula ejus eſſe poteſtis. *Abbas de Marruc ſermone de Tribulationibus.*

De mundi contemptu.

Satis eſt mundum cognoſcere, ut illum contemnas. Mundus in judiciis ſuis adeo cæcus eſt, in exiſtimatione, muneribuſque adeo injuſtus, ut nullam meritorum, nullam virtutis habeat rationem, ac ſæpe eximiam habet apud illum commendationem, ut ejuſdem donis cumuletur, qui iiſdem eſt indigniſſimus, infidelis eſt in promiſſionibus, in conſiliis inconſtans, mobilis in amicitia: hæc maximis comparatur impenſis, cum labore ſervatur, & facile amittitur. Nos allicit, ut fallat, blanditur, ut perdat. Maximam in nobis ſpem fovet, ut ſuperficialia tantum conferat, bona, quæ cor, cujus infinitus eſt captus, replere non poſſunt; vana, quæ rationali ſpiritui ſatisfacere nequeunt materialia, & craſſa, quæ nullam cum ſpirituali anima habent congruentiam; fluxa, & perfunctoria, & quæ ideo immortalis animæ felicitatem nequeunt efficere. Hæc mundus quidem promittit, at plerumque non tribuit. *P. Nepveu tom. 4. Chriſtianarum Conſiderationum.*

Parum eſt mundum contemnere niſi animus ab eo divellatur.

Non ſatis eſt mundum contemnere, animus eſt ab illo avellendus: quot enim videntur mundum nullo in pretio habere, qui tamen eidem inhærent? Præſtantiſſime de mundi contemptu diſſerunt, attamen illum diligunt: quotidie de illius perfidia queruntur, hoc tamen non prohibet, quominus illi habeant fidem; & poſtquam in eum probra, & maledicta evomuerunt, illum tamen ſibi idolum faciunt, eumque adorant. Cæcum te eſſe, opus eſt, ut mundum æſtimes, ſed tibimet ipſi te contradicere opus eſt, ut illum contemnas, & nihilominus mordicus ita inhæreas illi, ac ſi in eo votorum tuorum ſummam invenires. Ratione ſe carere probat, qui mundum æſtimat; ſed ſe fide carere oſtendit, qui eidem adhæret, ubi per Baptiſmum pompis, & vanitatibus illius renunciaverit. *Idem.*

Mundi exiſtimatio, & fama negligenda.

Initium ducamus ex eo, quod inter mundi bona primum obtinet locum, hoc eſt ex honore, fama, exiſtimatione, & laudibus hominum; quid vanius? quid fallacius? Quod ſpectat ad honores, ad quemcumque dignitatis gradum evectus fuerit mortalis, umquamne ſua for-

ſua ſorte contentus eſt? Ea non curans, quæ infra ipſum poſita ſunt, illa tantum ſuſpicit, quæ ſupra. Magis dolet vel unum ſupra ſe elatum conſpiciens, quam gaudeat plurimos poſt ſe relinquens. Ad hæc importuna illa cogitatio per intervalla feliciſſimo cuique licet invito obſtrepens: *hæc quamdiu?* Quamdiu honores iſti permanebunt? terribile eſt fortunæ, quæ beatiſſima videtur, virus, quod efficit, ut magis afficiatur dolore ex metu aliquando hæc amittendi, quam gaudio ex voluptate iis perfruendi ..... Si autem intus, & in cute ſpectemus, quid ſit fama, exiſtimatio, & hominum laudes, quid vanius, quid ineptius? Si me aliquis æſtimat, alius me contemnit; quiſnam mortalium omnium encomia conſecutus eſt? Et licet me in pretio haberet multitudo, multitudo quid eſt niſi congeries rudium, cæcorumque hominum, qui affectu ducuntur, qui inconſtantes ſunt, qui me hodie plurimi, cras faciunt teruntii? At eſto, conſtans, ſinceraque ſit eorum æſtimatio, numquid meliorem me facit? numquid beatiorem? Non alienum, ſed meum me felicem reddit judicium, & ſi me mea damnat conſcientia cæteris probantibus, quid mihi horum approbatio prodeſt? Verum licet ego ipſe mei contentus eſſem, exiſtimaremque omnes omnium laudes mereri, ſi me improbat Deus, ſi me damnat, quid hæc omnia proderunt mihi? Reipſa non ſum, niſi quod ſum in judicio Dei, ac plerumque ſatis eſt nimium ſollicite humanas laudes inquirere, ut nos contemptu dignos præbeamus. Dicamus igitur cum Apoſtolo 1. ad Corinth. 4. *Mihi pro minimo eſt, ut a vobis judicer, aut ab humano die. Idem in libro, cui titulus, Spiritus Chriſtianiſmi.*

De mundi voluptatibus.

Voluptates, vel aſſiduæ ſunt, vel breves; ſi primum, jam non ſunt amplius fere voluptates: illis aſſueſcimus, eas faſtidimus, illis fatigamur, & maxima quæque voluptas, ubi diuturna eſt, fit ſupplicium. Suaviſſimus quilibet muſicarum fidium ſonus, jucundiſſima converſatio, gratiſſimumque ſpectaculum nobis eſſent non ferenda, ſi totam obtinerent diem. Nemo voluptates guſtat minus, quam qui ſemper in voluptatibus eſt. Pone hominem in locupletiſſima domo, in loco deliciis omnibus affluenti; poſt menſem ibi exactum plurimum jam de illius loci pretio deperit; vel nullam ibi amplius invenit voluptatem, vel nulla amplius afficitur. Sin autem breves ſunt voluptates, merenturne, ut ob illas tot laboribus exerceamur? pro fluxis, perituriſque voluptatibus, æquumne eſt, ut, quod ſæpe accidit, tota perfectiſſimæ beatitudinis æternitas in diſcrimen adducatur? *Idem.*

Ut juſtam concipiamus ideam bonorum hujus mundi, hæc in ipſo mortis momento ſunt conſideranda.

Aſſueſcere debemus omnibus vitæ hujus bonis, quæ oculos noſtros perſtringunt, & faſcinant, tamquam in ipſo mortis momento poſiti inſpiciendis. Maxima quævis bona, cum hoc pacto intuebimur, exilia nobis videbuntur, vel potius penitus evaneſcent, & maximæ voluptatum illecebræ, ubi eas æternitatis lumine ſpectabimus, omnem exuent ſuavitatem. Adnitamur ergo, ut ſæpe in vita eos induamus ſenſus, quos in hora mortis habebimus; homo vivens amat mundum; moriens vero illum contemnit. Quiſnam ſanius de rebus judicium fert, homone vivens, an moriens? *Idem.*

Hæc fictilis, & lutea domus, ubi nos Deus inhabitare voluit, fatiſcens ubicumque ruinam minatur; ſingulis horis mortis impetum experimur, unde illam in dies propius accedere cognoſcimus. Attamen fugientem mundum perſequimur; eumque labentem retinere contendimus, innitimur cadenti, ac nos ſua opprimit ruina. Anima Chriſtiana uſquequo aures obſtrues amantiſſimi Dei tui ſollicitationibus; qui te quærit, tibique bona æterna promittit? *Auctor Anonymus.*

Mundani vitæ hujus voluptates depereunt.

Videre mihi videor mundanos in via iniquitatis defeſſos, & fatigatos earum ſatietate voluptatum, ubi nullum amplius guſtum inveniunt, ac præ tædio in ipſo voluptatum fonte moriuntur: videre, inquam, mihi videor in pueris illis repræſentatos, qui a Jeremia deſcribuntur inter matrum ulnas animam exhalantes, & ex arentibus earum papillis pro lacte propter cibi carentiam deficiente, corrupti ſanguinis reliquias ſugentes. Hac de cauſa homines ſæculi adeo validam inveniunt illecebram in ſuavi, jugique aulæ agitatione, in æſtuoſa mundi vita, quæ illos ipſis, importuniſque eorum cogitationibus auferens, non ſinit eos aliquid videre, præter externum ſtatus ſui nitorem, veramque illis abſcondit pauperiem, atque miſeriam, in qua inter tantam rerum affluentiam laborant. Illos ex hoc centro ejicite, educite illos ex hoc tumultu, in mortalem decidunt languorem, nihilque ultra invenientes, quod ipſos extrinſecus agitet, occupetque, fiunt neceſſario propriæ cupiditatis præda, qua abſumuntur, ubi nullum inveniunt externum, cui adhæreant, objectum. *Idem.*

Primus animæ, quam Deus illuſtrat, motus eſt felicitatis deſiderium. Dei ſpiritus efficit, ut homo ſentiat ſe creatum propter finem eſſentiæ ſuæ nobilitate dignum: cumque nihil in univerſo terrarum orbe reperiat, quod deſideriorum ejus magnitudinem valeat replere, ſibi quærendum eſſe objectum, quod iis omnibus præſtet, quæ in rerum creatarum ordine reperiuntur. Inexplebilis hæc potentia, qua agitur, ut ſemper aliquid cupiat præter illa, quæ poſſidet, in illo inutilis eſſe non poteſt: neque enim illam a natura poteſt accepiſſe, quin in eadem reipſa bonum inſit, cujus præſentia vaſto illius captui par hunc valeat explere.

Naturale felicitatis deſiderium bonorum hujus mundi perfruitione expleri non poteſt.

Propenſio hæc adeo naturalis, & acris, qua in ipſo etiam peccato quærit felicitatem, quamvis per illud ab hac longius recedat, terminum habere debet realem, & effectivum, qui illi reſpondeat; & cor illius ſemper erit in violento, & inquieto ſtatu, donec extra centrum erit, vel extra viam, quæ illuc ipſum poteſt adducere. Speranda igitur felicitas non eſt in bonorum hujus mundi poſſeſſione, licet iis omnibus, quæ maxima, magnifica, jucundiſſima ſunt, perfrueremur. *Idem.*

Quam brevis, & vana ſit mundi lætitia.

Mundanorum lætitia perniciſſima eſt, nihilque durabile habet præter pœnitentiam, quam illis relinquit: lætitia eſt, quæ in lacrymas deſinit; lætitia ſuperficialis eſt, quæ cor ipſum non tangit, vel quæ vaſtam illius extenſionem non replet. Peccatoris neceſſitates illius affluentiam uſquequaque ſuperabunt. Eſuriunt divites, inquit Propheta, refertæ ſunt domus eorum, ac cor vacuum eſt: *Divites eguerunt, & eſurierunt.* Voluptuoſus inter voluptates voluptatum deſiderio conficitur: ambitioſus in ipſo honorum centro ſollicitus eſt, ac ſe ipſum torquet; inſignis ille terrarum domitor luget, quod virtus ſua intra terrarum cancellos nimis ingenio ſuo anguſtos contineatur, & alii deſperantes ſe in mundo invenire non poſſe, unde inexplebili aviditati ſuæ faciant ſatis, naturam vel impotentiæ, vel crudelitatis inſimulant. Quam igitur incomprehenſibile ænigma homo eſt? Cur adeo humiles ſenſus in corde adeo magno? Cur hujus mundi bona non replent eorum deſideria, vel cur eorum deſideria mundi bonis occupantur? Numquid mentita ſibi eſt æterna Sapientia? Num vel terræ bona, vel humanum cor illi explorata non ſunt? Vel potius, o Deus; nonne hæc eſt tui amoris præcautio? Ne ſine te homo ſit felix, mundum facis impotentem; hominique oſtendens, illi mundum ſatis eſſe non poſſe, eum cogis, ut tandem aliquando fateatur ſibi neceſſarium eſſe Deum, ut voti ſui compos, beatuſque efficiatur. *Ex ſermone Gallicæ Accademiæ oblato.*

Mundi hujus voluptates non ſolum terminis continentur, ſed etiam moleſtis caſibus perturbantur.

Vitæ hujus voluptates breves ſunt, & per ſe anguſtiſſimis finibus continentur. Ad hoc ſatis eſt, quod plerumque a noſtra affectione dependeant, affectio vero ex phantaſia, quæ ſingulis momentis immutatur, imaginatio noſtra illis tribuit quidquid habent ſuavitatis, eademque rurſus illas infirmat, & omnem illis aufert delectationem. Perſona eadem, quæ ad idololatriam uſque amata fuit, poſt aliquod tempus nullo in diſcrimine habetur, & ſæpe etiam in horroris objectum convertitur; cujus rei frequentiſſima ſunt in terris exempla. Neque alia afferri poteſt ratio, quam voluptatum exilitas, quarum brevi afficimur tædio, & quæ magis, magiſque infirmantur. Quemadmodum vulgo ſapienti viro indignæ ſunt, animam coinquinant, illam in propriis ipſius oculis contemptibilem reddunt, eam ſecreta confuſione ſuffundunt; & anima hæc, ut ita dicam, naturaliter chriſtiana, hanc ſibi exprobrat confuſionem iis ſtimulis, quos impii non ſemper tam facile retundere valent. Adde his, voluptates non ſolum in ſe brevibus circumſcriptas eſſe limitibus, moleſtis ſæpe etiam caſibus perturbantur: dilutæ ſunt felle ſexcentarum inevitabilium amaritudinum, quæ ſubinde graviſſimis, iiſque diuturnis doloribus perfunctoriam aliquot momentorum dulcedinem ſatis rependunt. Præterquamquod zelotypiæ, ſuſpiciones, diffidentiæ, metus, affectuſque alii, qui individui ſunt magnarum oblectationum ſocii, eſſe nequeunt niſi importuni voluptuoſæ vitæ inimici. *P. Mauduit tractatu de Religione contra Atheos.*

Terrenarum rerum vanitas.

Mundus, & quidquid ibi accidit, vanitas eſt, error, tenebræ, ignorantia: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Eccl. 1. Illud vero animadvertendum eſt, quod ſub hac voluptatum ſpecie latet quædam miſeriarum catena pro illis, qui ibi ſuam quærunt felicitatem. Hinc Sapiens ſuum orditur ſermonem ſtatim exclamans, omnia vana eſſe, ipſamque vanitatem. Deinde omnes haſce vanitates ſedulo enumerat, deſcribit, exaggerat, ac abuſum, in quem ab impiis vertuntur, ob oculos objicit, ut earum magnitudinem, & periculum melius intelligamus; earumque ſingulis remedium adfert ſalutaria monita adjiciens. *Idem.*

De mundo, & ejus illecebris, quarum errorem excutere difficile eſt.

Mundum agnoſcere, & amare unum, & idem eſt juventuri, illum nonniſi ex externa ſpecie cognoſcenti.

Mundus illi nonniſi hilari, ridentique facie ſe offert, eique deliciae, thura, & blanditias exhibet. Verum temporis decurſu illius deteguntur mendacia, eumque proditorem, ingratumque eſſe innoteſcit. Sed lenta hæc experientia adoleſcentes fatigat; iis fidem habent, quæ ſenſibus eorum accidunt, quæque ſenſibus accidunt, illis dicunt, ipſos pro mundo, pro ipſis mundum eſſe. Animæ hunc ſenſum, pernicioſam hanc cognitionem auferre, illos ab hac faſcinatione nugacitatis præſervare, cujus triſtes effectus Salomon deplorabat, gratia eſt juventuti æque rara, ac neceſſaria. *Pater de la Bue, ſermone habito cum Religionis habitus deferretur.*

De terrenarum rerum inſtabilitate.

Regius Propheta Pſal. 1. Juſtum nobis exhibet *tamquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum.* Quid efficeret arbor hæc, ſi ſenſu eſſet prædita? videret hujus fluminis fluctus ſeſe mutuo impellentes, atque alios poſt alios abeuntes; videret etiam frondes ſuas decidentes in aquas a quibus abripiuntur; at ipſane arbos fluctus eoſdem ſequeretur? Eos tranſire ſineret, atque ſemper eodem in loco permanens ſua in cœlum brachia protenderet. Hæc juſti hominis imago eſt; in mundo tamquam ſecus fluminis oram poſitus eſt, quandoquidem S. Bernardus res terrenas exhibet nobis veluti fluvios ſemper labentes. Vir hic præterlabentia flumina intuetur, videt vitæ ſuæ dies, qui folia ſua ſunt, cum tempore, a quo trahuntur, prætereuntia. Verum illene his bonis ſe trahi ſinit, & dies, qui tranſierunt, deſiderat? Non ita ſane, ſemper in eodem eſt ſtatu, divinæque ſubditus providentiæ, ſua vota, ſuaſque cogitationes æternitatem verſus intendit. Hoc nobis faciendum eſt. *P. Maſſillon, ſermone de beatitudine.*

Mundi lætitia ſuperficialis eſt.

Mundi lætitia ſuperficialis eſt; delet frontis rugas, & faciei ſerenitatem inducit; ſed numquam cordis imam penetrat partem. Mundanus eſt felix, cum ſui compos non eſt, vel cum affectionum ſuarum emotione turbatur; ſed cum ratio redit, vel cum libertatis ſuæ poſſeſſionem iterum acquirit: ſtatim ſe ad cor mundanus revertitur, & ſe ipſum excutit ſerio, ſtimulos invenit, vel ſaltem mœroris, doloriſque cauſas, quibus conficitur. Quot mortales poſt exactos in libidinibus annos confeſſi ſunt, ſe non potuiſſe retundere ſtimulos conſcientiæ ipſos torquentis? Non deſunt, qui tranquilli videntur, verum quis novit, utrum cor illos mentiatur, ac utrum interiori liberati ſint verme, qui frequentiſſime impios depaſcit? Denique mundi lætitia dura non eſt; ſons eſt, cui carceris cuſtos inter ipſius carceris fines aliquam permittit libertatem, eique ſolatia quædam concedit; ſed re ipſa ſuos ſecum compedes trahit, ac in ſingula momenta metuit, ne judex, vel carnifex præ foribus adſiet. Poteſtne cum hoc terrore contentus eſſe? lætitia, quæ guſtatur, nonne moleſtiſſimis effectibus, qui peccatum conſequi poſſunt, corrumpitur? *Auctor Anonymus.*

Non eſt vera in mundo lætitia.

Supremus rerum Dominus unicum æternæ felicitatis objectum non vult, vel uno momento nos ſine ipſo tranquillos eſſe poſſe, atque beatos. Creata omnia, quibus abutimur, ut noſtris ſatisfaciamus affectibus, in ſupplicii noſtri inſtrumenta convertit: omnia conſilia noſtra magis jucunda, ſpes omnes magis ſuaves ſunt phantaſmata, & inania ſpectacula, quæ imaginatio effingit, ut doloribus noſtris afferat ſolatium. Omnes iſtæ voluptates, honores, bona, dignitates, quæ noſtram expleturæ videbantur cupiditatem, noſtram augent miſeriam, noſtraque irritant deſideria. Deus ultionem ſumpturus de injuſta mundanorum prælatione permittit, ut quidquid videtur diuturnam illis afferre poſſe tranquillitatem, eos miſeros, & inquietos efficiat. Fruſtra inanem felicitatem in fortunis, vel honoribus collocamus; hæc fiunt noſtra ſupplicia, fruſtra contendimus in voluptatibus noſtram ſtatuere beatitudinem; ea enim, quæ nobis ſuaviſſima accidit, & perjucunda, parum diſtat a faſtidio; nullaque lætitia eſt, quæ in mœrorem non convertatur. Ita voluiſti, o Deus, omnem animam flagitiis deditam, & iniquam ſui ipſius eſſe ſupplicium. Nemo in mundo beatus eſt; aliquis fortaſſe beatum ſe putat; ſed heu! ſi curarum, laborum, dolorumque ejus myſterium poſſetis agnoſcere, ſub eo cortice, ubi nihil videtur, venenum, & corruptionem intueremini. Videretis patrem non contentum filio; virum a conjuge diſſentientem, amicum amico ſtruentem inſidias. Videretis ſub ſpecioſis tegumentis pacta violata, proditas amicitias, ſanctiſſima fœdera fracta, arctiſſima vincula odio, perfidiaque ſoluta, & fortunas maxime nitentes omnem jucunditatem amittere iis ſollicitudinibus, quas ſecum gerunt, honeſtiſſimos locos ſuam dulcedinem, ac utilitatem perdere propter dolorem, quod ad ulteriora aditus ſit interclusus, atque ſpectatiſſimos titulos, præſtantiſſimaſque dignitates non aliud niſi calamitoſiſſima facere mancipia. *Sermo manuſcriptus.*

Bona hujus mundi natura ſua fluxa ſunt, & peritura.

Bona hæc, quibus abrenunciamus, peritura ſunt, & fugitiva, ac ſeius, & ocyus relinquenda; ſed quorum ſeparatio nonniſi triſtis, & acerba illis accidere poteſt, a quibus divelluntur: hic eſt fallacium hujus mundi bonorum character. Et ſane vos ipſos, o mortales, conſulite, quot curis, ſollicitudinibus, anguoribus, timoribuſque fluxa hæc bonorum objiciat poſſeſſio eos, qui iiſdem fruuntur? illorum amittendorum metui, dum poſſidentur, adhuc, amiſſorum dolori, ubi illis exuimur, & deſperationi quam primum fortaſſe in turpiſſimam egeſtatem decidendi, certitudini eos ad ſummum in morte relinquendi. Quænam doloris, mœroriſque cauſa animæ terrenis voluptatibus abditæ videre inſtantem diem illum, quo jacturam ſubitura eſt rerum omnium, quas præ cæteris habet in pretio? *Sermo manuſcriptus.*

Hujus mundi bona vanitas ſunt, & mendacium.

Propheta nos admonet, ne vanitatem diligamus & ne quæramus mendacium: *Filii hominum, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Non ſatis eſſe putat dicere, honores, opes, & voluptates mundi eſſe mendaces, ſed ipſum eſſe ait mendacium? *Quæritis mendacium.* Et profecto divitiæ dicunt ſe beatos efficere illos, a quibus poſſidentur, ſed mentiuntur, quoniam divites ſæpe in ſumma bonorum affluentia ſunt pauperes, ſeu propter immodicos ſumptus, ſeu propter avaras curas, ſeu propter inexplebilem aviditatem, propter quam ea cupientes, quæ minime habent, flocci faciunt, quæ habent. Honores inquiunt, ſe eorum eſſe felicitatem, qui ad dignitates evecti ſunt, ſed mentiuntur; etenim ſub purpura, & laticlavo latent ſpinæ: & onus eſt honos, qui ſuſtinet rempublicam. Voluptates quoque ſe eorum felicitatem eſſe profitentur, qui ſeſe illis ingurgitant; ſed mentiuntur, omnis eorum ſpecioſa dulcedo fere ſemper in amaritudinem vertitur. Hæ ut plurimum ſunt acerbiſſimorum dolorum in vita origines, & blandæ affectiones, quæ nos in ipſo ortu ſeducunt, plerumque in crudeles, violentaſque, turpes, & brutis dignas migrant cupiditates, quæ mancipia ſua miſerrima, & indigniſſima efficiunt. Mundi autem ſpiritus totus hiſce honoribus, voluptatibus, divitiis, quæ nihil niſi mendacia ſunt, occupatur. *Eſſais de ſermone pro die Pentecoſtes.*

Hujus vitæ bona beatos non faciunt.

Quæ cæcitas eſt tamquam beatitudinem reſpicere poſſeſſionem, ac perfruitionem rerum creatarum, opum copiam, humanarum dignitatum nitorem, honores magnos, gravia negotia, pompam, mundi exiſtimationem & quidquid hominum ſenſus, & vanitatem palpat? Heu! beatus ille eſt, qui venena deglutit, quibus viſcera mox ſunt diſrumpenda? beatus, qui ſeſe rotæ alligat, ubi crudele eſt ſubiturus ſupplicium? Quid in anima producere poſſunt tot cupiditatis objecta, tot vincula, arctique nexus? Cum mors adveniet nos ab hujuſmodi objectis ſeparatura, quam terribiles tunc erunt dolores? Amatur hoc humanarum conſolationum ſtratum, ubi infirmitas noſtra requieſcit; mundus non impune amatur; amor mundi neceſſario fit ſupplicium, quia mundus nobis effugit neceſſario, & fieri nequit, ut non affligamur, ubi iis caremus, quæ amamus. *Eſſais de morale, Tractatu primo de quatuor finibus cap. 8.*

Nihil hoc in mundo replere poteſt cor hominis.

Si homo a Deo ſemel receſſit, jam non aliud eſt quam infirmitas, miſeria, error, cæcitas, inanis voluptas, quæ ſeſe oculis ejus offerat, illum illicit, & faſcinat: ſed ubi eadem gaviſus eſt, ejus tædio afficitur, atque intra ſe ipſum agnoſcit vacuum, quod nulla re poteſt repleri. Ita de objecto fertur in objectum, ac ignarus, in quo potius hæreat, de tenebris incedit in tenebras, ac de abyſſo in alterum abyſſum ruit: videlicet lapſus ſibimet ſuccedunt, vitioſi habitus confirmantur, & perdita hæc via magis, magiſque ducit in interitum, & damnationem æternam. Illud vero infelicitati cumulum addit, quod miſer eſt ſua ſorte contentus. Non ſolum nullos exerit conatus, ut oppoſitam ingrediatur viam, ſed ne primam quidem habet cogitationem plorandi, gemendi, manuſque in cœlum tollendi; conſcientia illius cum iniquitate conſuevit, neque hanc odit amplius. Senſus illius victoriam referre ſoliti rationis lumina extinxerunt eo uſque, ut ille in ſceleribus ſuis volutetur tanta ſecuritate, quanta ſi nihil illi eſſet metuendum. Hæc illa cæcitas eſt, quam bonorum vitæ hujus perfruitio parit, cum illa diligimus, cum illis inhæremus, cum illa perſequimur, quin in illis eam inveniamus umquam voluptatem, quam quærimus. *P. Stephanus Chamilard ſermone manuſcripto de Samaritana.*

Salomonis exemplum omnes deterrere debet qui in hujus vitæ bonis ſuam felicitatem conſtituunt.

Ut error iis auferatur, qui felicitatem in vitæ hujus bonis vel quærunt, vel conſtituunt, ſatis mihi videtur futurum unum dumtaxat exemplum illis conſiderandum proponere. Salomon unus eſt, quem legimus guſtare potuiſſe, immo guſtaſſe, quidquid vitæ hujus ſua-

ſuavitatem poteſt efficere. Alii Principes, licet in terris feliciſſimi, annos ſuos in gaudiorum, pœnarumque ſucceſſione duxerunt; bella, negotia, ſeditiones, defectiones, eorum gloriæ, potentiæ, opulentiæ obſtrepuerunt, privati, qui tranquilliore uſi ſunt fortuna, per intervalla adverſis etiam jactati ſunt. Quidquid de reliquis ſit, Salomon unus menti noſtræ repræſentat ideam hominis, cui nihil defuit, ut vitam duceret voluptuoſam; verum propter hoc ipſum Salomon moriens majorem nobis reliquit locum de ſalute, quam reprobatione ſua dubitandi. *Liber cui titulus: Animadverſiones in omnia religionis, Ethicæque argumenta.*

Terrenarum rerum inconſtantia.

Navis leve in aquis relinquit veſtigium, quod non multo poſt fluctus coeuntes delent. Aquæ motus diuturnum non patitur veſtigium; ulciſcitur, ut ita dicam, inconſtantia ſua modicum illud reſiſtentiæ, qua contra ea corpora, quibus premitur, obluctatur. Sæculi fluctus ſindite, ut, honores, & opes adipiſcamini; cedet unda ambitioni, & avaritiæ veſtræ, cymbaque veſtra, ſi bene regatur, rectum ſequetur iter. Interim pertranſitis, & mare poſt tranſitum veſtrum ſtatim fere ſuos fluctus confundit. Honores, ac divitiæ veſtræ aliis etiam viatoribus eamdem navigationem obeuntibus hoc ipſum, quod vobis, præſtabunt. Ita omnia labuntur, & hæc terrena in jugi viciſſitudine tranſeunt. *Idem.*

Qui ſubliniori gaudet fortuna non eſt præ aliis contentus.

Videntur quidem in mundo mortales florenti fortuna gaudentes, & majora etiam meritis ſuis præmia conſecuti; verum ideone contenti ſunt? Eſto, bonis, honoribuſque diffluant, ita ut mundus omnia illis contuliſſe videatur, ut ad completam proſperitatem illos proveheret; verum cor eorum quietum eſt? Ultrane deſiderant aliquid? Putantne ſe beatos, & in hac beatitudinis ſpecies, re ipſa ſuam felicitatem inveniunt? Haud ita; e contra, Sanctus Chryſoſtomus ait, in hujuſmodi ſtatuum generibus infrequentius, vel potius minus facile invenitur. Quis autem dicendo recenſere valet numerum eorum, qui eo pervenerunt, ut magis eſſent miſeri, magiſque ſuam infelicitatem ſentirent? Mundus tamen nullis pepercerat ſumptibus, ut eorum ambitionem expleret, eoſque ſuis favoribus cumularet. Verum ſimul favoribus ſuis mundus amaritudinis ſemina adſperſerat, quæ ab illis ſeparari non poterant, & quæ non multo poſt doloris fructus erant editura. Mundus illos potentes, ac divites præſtans, omnia illis contulerat, quæ ſuæ erat opis; ſed illis tribuere non poterat ſatietatem, & pacem cordis, ſine qua neque potentia, neque opulentia prohibere poterant, quominus ſtatus eorum eſſet infelix. Quantumvis beati viderentur, quot ipſis deerant, ut eſſent? At enim ſibi tantum ſuccenſere debebant, miſeri quippe erant, quia ſatiari non poterant. Ego non reſpondeo, cur autem licet tot referti bonis ſatiari non poterant? Niſi quod, Sanctus Chryſoſtomus addit, explorata, conſtans, æternaque veritas eſt, mundi bonis, quantumvis affluant, cor humanum expleri non poſſe. *P. Girouſt tomo Adventus, ſermone de præmio Sanctorum.*

Terrenarum rerum mobilitas.

Omnia hujus mundi bona ſuapte natura adeo fragilia ſunt, ut nihil illa tueri poſſit, nobiſque contra eorum inconſtantiam ſpondere. Pulchritudo perit, honores evaneſcunt, amicitia extinguitur, fortuna ruit, valetudo ſexcentis obnoxia eſt caſibus, qui illam vel corrumpunt, vel auferunt, voluptates faſtidium creant, totuſque mundus non aliud eſt, quam figura, quæ præterit. Aman idem, qui vitam amittit in eodem patibulo, quod ipſe paraverat Mardochæo, inſigne exemplum eſt ejus pretii, in quo mundi hujus honores, principium gratia, poteſtas, atque auctoritas in populo habendi ſint. *Abbas de Monmorel ſermone pro 4. Dominica poſt Epiphaniam.*

Deus S. Benedicto omnium creatarum rerum nihilum oſtendit.

Noſtis, Auditores, quid Sancto Benedicto in ipſo orationis fervore contigerit? Supra ſe raptus fuit; cœlum apertum eſt, deque noctis ſinu quædam inſolitæ lucis ſpecies effulſit, additaque fidei viſione mundus in ſolari radio collectus, Deo permittenre, ſeſe illius oculis obtulit, eique humanarum rerum nihilum, & deformitatem detexit. Seu Deus pro illo cœlum, terramque coarctaſſet, ſeu illius cor, ac mentem latiorem effeciſſet, Sanctus Gregorius ait, vidit omnes terræ hujus revolutiones, ac vices, creaturas, licet invitas, vanitati inſervire coactas, totumque mundum humanis ſubjectum cupiditatibua. Cœleſtis hujus luminis ope vidit, magnos illos honores, quos ipſi opinione tantum extollimus, decreſcere; immenſa illa ſpatia, quæ ambitio in hominum imaginatione dilatat, arctari, prætereuntis mundi hujus figuram evaneſcere, & diſſipari hanc ſimulationem, ac univerſalem ſæculi hypocriſim; ubi vitium tamquam virtus honoratur, & virtus tamquam vitium contemptu digna videtur, & ubi falſæ fugiuntur miſeriæ, falſæ appetuntur felicitates. Vidit acervum ineptorum deſideriorum, odiorum injuſtorum, inconditarum affectionum: vidit noſtrarum voluptatum inſaniam, negotiorum inutilitatem, fortunarum fragilitatem, votorum vanitatem, atque bonorum omnium exilitatem. Heu! quam parvus illi viſus eſt mundus! Num mirum, ſi illum contempſerit, & ſi æternum cum eodem fecerit divortium? *Felchier Panegyrico S. Benedicti.*

Æſtimatio, & amor bonorum hujus vitæ cæleſtium amorem & deſiderium auferunt.

Undenam alterius vitæ bona tantum contemnimus? Inde ſane, o fideles, quia bona fragilia, fallaces voluptates, atque ut Scripturæ verbis utar: *faſcinatio nugacitatis obſcurat bona.* Hæc nos obcæcantia de mente, animoque noſtro delent verorum bonorum pulchritudinem, eiſque offundunt caliginem. Ideo iis vacamus tantum, quæ noſtris ſenſibus accidunt, ea ſolum habemus in pretio, quæ videmus, cum interim ea, quæ videmus, non aliud ſint, quam vanitas, afflictio ſpiritus, & miſeria, ubi cum iis, quæ minime videmus, comparentur. Hæc tamen ea cæcitas eſt fere univerſalis, quæ in mundo graſſatur. *Joly, tomo ſecundo Propoſitione pro ſecunda Quadrageſimæ Dominica.*

Rationes, quæ efficere debent, ut mundum oderimus, & contemnamus.

Non loquor hoc in loco, auditores, de ſexcentis rationibus, propter quas hunc mundum vel odiſſe debemus, vel contemnere, deſumptis videlicet ex nihilo, inanique rerum mundanarum, quæ humanum cor occupare quidem poſſunt, replere non poſſunt, ex difficultatibus, quæ ſuperandæ ſunt, de obſtaculis, quæ ſunt infringenda, ut eo perveniamus; de contemptibus, qui ferendi, de vigiliis, inſomnibuſque noctibus, quæ ducendæ, de periculis, quæ præcavenda, de affectionibus, quæ licet ſibi oppoſitæ ſimul tamen conciliandæ ſunt. Quis labor, ut aliquod bonum aſſequamur! Quot curæ, ut illud augeamus, atque tueamur! quot competitores, & invidi eludendi! Quot ſuperandi inimici! Quot diſſimulandæ injuriæ! Quot proditiones, & ingratitudines tolerandæ! Poſt hæc amari ne poteſt mundus, cui tantum ineſt amari? Contemni non poteſt hæc terra, ubi adeo pauca bona quidem ſunt, mala vero tot, ac tanta. *Idem.*

Quamvis Ethnici Philoſophi mundi hujus bona ſe contemnere profeſſi ſunt, iis erant decepti.

Philoſophi quidam operam navarunt, ut bonorum hujus mundi vanitatem, ac fragilitatem oſtenderent; verum non admodum e voto hoc illis ceſſit; generales enim mundi ſententias aliis ejuſdem mundi ſententiis, licet parum ſapientibus oppugnabant. Divitias oderant; ſed odium hoc non aliud erat, quam ſecreta quædam contra fortunam indignatio, cui eloquenter obtrectabant, ut ſe ipſos ulciſcerentur. Fugiebant honores, ſed hæc fuga non aliud erat, quam occulta per ambages via tutius ad gloriam perveniendi. Voluptates generatim adſpernabantur, ſed ut privatim iiſdem tranquillius perfruerentur; eorum cor, & lingua minime conſentiebant, & quamvis in academicis ſermonibus de ſpiritualibus tantum voluptatibus verba facerent, ſatis ex hiſtoria intelligimus, ipſos ne turpiſſimas quidem abhorruiſſe. Chriſtiana opus erat diſciplina, quæ mortalium errorem auferret, atque vitæ hujus bonorum falſitatem, ac vanitatem oſtendens illis æternorum bonorum amorem inſpiraret. *Specimen ſermonum pro feria tertia poſt primam Quadrageſimæ Dominicam.*

Vitæ hujus bona adverſus vitæ ejuſdem mala non tueri non poſſunt.

Vitæ hujus bona, ſi quæ tamen hoc nomine nuncupanda ſunt, nos nequaquam aliis malis tuentur, quibus maxime affligimur. Nihil facilius externa mundi hujus ſpecie. Videmus quidem aliquando hominum divitias, & gloriam; at mœrorem, quo eorum conficitur animus, non videmus. Hic palam ridet, qui clam plorat; ille in cœtu hilaris gaudet, qui in penetralibus ſuis dolori ſe mancipat. Cogitavi, Sapiens ait Eccl. 1. riſum non aliud eſſe quam errorem, & fraudem, & aperienti cor ſuum gaudio dixi, cur ita decipi te ſinis? . . . Magni viri magnis obnoxii ſunt afflictionibus, & aurea corona, quæ ſub aliorum oculis nitet, immenſi ponderis eſt illam gerenti. O corona! exclamabat olim quidam Monarcha, qui tuum pondus agnoſceret, humi inventam ne tolleret quidem! Et ſane quod hominum deceptorum oculis corona videtur, gladius eſt acutus regum capiti imminens, & uno tantum crine ſuſpenſus. Illi ipſi ſunt ſtatua illa, quam in ſomnis vidit Nabuchodonoſor aureum caput, luteoſque pedes habentem, & quam lapillus, hoc eſt levis adverſitas, in pulverem eſt redactura. Quam jure ergo Regum omnium Sapientiſſimus dicebat ſub Sole nihil eſſe niſi vanitatem, & ſpiritus afflictionem? *Liber cui titulus: Conſolatio contra terrores mortis cap. 23.*

Bonorum hujus vitæ fragilitas.

Permittit Deus mundum injuſtum eſſe erga illos, a quibus amatur, ut deſinant ei tandem adhærere. Juventus, pulchritudo, ſanitas ætate atteruntur, ac tempore pereunt: ſuaviores deſinunt amicitiæ, & amici, qui longius abſunt a ſuſpicione, fere numquam tuti ſunt,

ſunt, Divitiæ per fragilitatem ſuam nobis elabuntur, vel hominum violenti auferuntur; voluptatibus ſemper comes accedit metus eas ſingula momenta amittendi; honores viciſſitudinibus, ac populi perturbationibus ſunt obnoxii; omnia abripiuntur prætereuntium momentorum decurſu. Ad tantam hanc nobis tradendam veritatem Spiritus Sanctus comparationibus utitur, figuris, atque hiſtoriis. Nunc ea, quæ a mundo exhibentur, ſimilia eſſe ait aureo ſimulacro ſuper luteos pedes ſtanti; modo magnificæ navi, quæ in modicum arenæ cumulum alliſa pendet, vel quæ itineris ſui nullum in mari veſtigium relinquit. *Actiones chriſtianæ tomo 3.*

Omnium bonorum inconſtantia.

Nihil in hiſtoria magis celebre, quam Beliſarii memoria invenitur. Mortales omnes ejus admirantes virtutem illum viderunt, urbes, & oppida expugnantem, Regna, & Provincias Cæſaris imperio ſubjicientem; verum mortales omnes tanti viri calamitatem dolentes viderunt illum oculis captum, obolumque petentem ex illis ipſis, quos ſuis armis ſubegerat. Triſte exemplum fragilitatis bonorum hujus mundi, & mobilitatis fortunæ, quæ quanta ſit, jugi experientia docemur . . . . Populus, qui de rebus ex externa tantum earum ſpecie judicat, vix adeo apertam intelligit veritatem; ſæpe ſibimet inquit hos, illoſque felices eſſe; videt illorum voluptates, pœnas non videt, in iis hæret, quæ oculis accidunt, at non videt, quæ cor illorum confodiunt. Si capiti veſtro immineret enſis uno tantum crine ſuſpenſus, & jugi motu agitatus ad lapſum, numquid tranquille in aurem utramque ſteteretis, cum voluptate exquiſitiſſimis dapibus veſceremini, metu omni vacui eſſetis? Principum terræ conſcientiam teſtor: numquid eorum conditio felicior eſt? Omnem fatigant naturam, ut deliciis ipſorum inſerviat, ſed inter convivia ſuſpirant; in magnificis cubilibus ſternuntur, ſed non niſi teterrimis ſomniis agitantur; purpura induuntur, ſed beationes eſſent, ſi pannoſis centonibus operirentur. Quid ipſi concupiſcimus? quid tot laboribus, ac pœnis contendimus? ex ſe mutuo quærebant Aulici illi duo, de quibus in confeſſionibus ſuis loquitur Sanctus Auguſtinus. Quid quærimus? Quem nobis dignitatibus noſtris finem propoſuimus? Omnis ſpes noſtra aliquidne amplius petere poteſt præter Principis gratiam? In hoc etiam quid certum eſt, & non pluribus obnoxium periculis? Ad hæc ubi voti damnabimur, ſolidane erit felicitas noſtra? Diuturna erit? nobiſcum in ſepulchrum deſcendet? Nos comitabitur in illis infirmitatibus, quæ hominibus accidunt crebro? ... Funeſta experientia, non ſecus ac Salomon voluptatum ſuavitatem percepimus; quandonam experientia felici agnoſcemus vanitatem? Cum illo dicere poſſumus; nihil ſenſibus meis negavi eorum, quæ petierunt; verum quandonam cum eodem dicemus; inveni omnia eſſe vanitatem, fragilitatem, & afflictionem ſpiritus ſub Solem. *Ibidem.*

Senſuum voluptates conſortes ſunt naturæ objectorum, a quibus producuntur.

Quod ſenſibili innititur obiecto, omnes illius mutationes ſubire debet. Ita cum ſenſuum noſtrorum objecta ſint mutationi obnoxia, & corruptibilia, opus eſt etiam, ut voluptas, quam percipit homo, ejuſdem naturæ ſit, ac particeps horum objectorum eorumque inconſtantiam, ac fragilitatem experiatur. Hoc egregie Sanctus Auguſtinus *ſermone 23. de verbis Domini* explicat, cum voluptuoſos ita alloquitur: ubi ſunt veſtræ deliciæ, propter quas a virtutis via receſſiſtis? Non quæro, ubi erunt, vel quid illis acciderit, ubi hæc vita tranſierit, & corpus, quod earum ſubjectum eſt, in cineres, tabumque fuerit redactum; ſed ubi nunc ſunt, quandoquidem nulla temporis particula eſt, quæ non fugiat fere antequam ſit; nam ex omnibus diei præſentis horis, ne unam quidem poſſumus retinere. Nonne hinc patet, nihil eorum, quæ diligitis, nullam certam habere exiſtentiam? Ita Sanctus Auguſtinus oſtendit inconſtantiam voluptatum, brevemque earum exiſtentiam, propter fugam temporis, quod earum continet durationem, earumque curſum terminis circumſcribit. *Liber cui titulus: Sapientia Chriſtiana capite 11.*

Brevis duratio bonorum hujus vitæ efficere debet, ut illa contemnamus.

Nil re magnum, quod tempore parvum eſt, Sanctus Eucherius inquit in Epiſtola ad Valerianum. Quæ diu non durant, magni momenti nobis videri non debent, eorumque fragilitas efficere debet, ut ea contemnamus; ecce bonorum mundi vanitatem. Similis eſt vapori, qui in aerem tollitur, quem Sol momento diſſipat, & fere in nihilum redigit. Omnia hujus terræ bona modicum fulgoris habent, momento prætereunt. Verum eſt, rerum brevitatem a nobis ignorari, donec in manibus noſtris verſantur; ſed expectate pauliſper, & videbitis, quænam ſit earum diuturnitas. Amor, quo illas deperimus, nobis perſuadet futurum, ut illis ſemper perfruamur; ita non videamus quamdiu earum fulgor ſit permanſurus, & quam brevis ſit noſtra oblectatio. Sed morti proximi intelligemus, omnia fortunæ bona eſſe fragilia, tunc videbimus honores, & gaudia æque ac nos tranſitura: unde hæc duo inferenda ſunt; unum, non contemnenda eſſe a nobis bona, quæ brevi pereunt, alterum affectu modo abrenunciandum iis eſſe bonis, quæ reipſa erunt aliquando relinquenda. *Biroat ſermone pro die Cinerum.*

Felix ſtatus, ad quem perveniamus terrenorum bonorum contemptu.

Cum perfecte animum noſtrum a terrenis rebus avellimus, ſimiles ſumus duobus Sanctis viris, de quibus Scriptura loquitur, Eliæ, & Enoch ex hac terra ablatis, huc iterum redituris, ut Antichriſto adverſentur. Cum duo illi viri mortui non ſint, ita in mundo ſunt, ac ſi non eſſent, ibique vivunt, quaſi non viverent; quia omnes temporum vices, ac perturbationes illos non tangunt, nihil eorum pacem turbat, vel turbare poteſt, & hæc terræ bona nec cogitant, nec amant. Hoc pacto pro nobis mundus tranſiiſſe debet, ac tranſierit, ſi illum tranſire ſinamus, ſi omnes illius mutationes nos minime afficiant, ſi illius opes, & voluptates nullo nobis ſint in diſcrimine, & ſi omnibus illecebris ejus non moveamur. Non credidit Apoſtolus, ſtatum hunc eſſe impoſſibilem! præcipit enim, ne Chriſtiani oculos habeant, ut hæc terrena videant, eiſque permittit, ut videant, non quæ temporalia ſunt, & oculis accidunt, ſed quæ æterna, & oculis non videntur: *Contemplantibus nobis, non quæ videntur, ſed quæ non videntur.* 2. ad Corinth. 4. Quomodo enim oculos non habebimus, ne viſibilia videamus, quin mundus nobis nihilum ſit? *Sarrazin tomo 1. Adventus ſermone de abnegatione ſui.*

Ut ab his terrenis rebus avellamur, earumque tædio afficiamur, ſuperanda eſſet illecebra, qua trahimur, atque conſiderandum nihil illis ineſſe amore noſtro dignum... Terra, Terra! in ſingula momenta clamandum nobis eſſet; cuncta bona, quæ tribuis, honores, & voluptates nonne terrena ſunt, & fragilia? Numquid æternum ſunt permanſura? Si nunc morior, aliquidne horum mecum afferam? Spetarene poſſum, me illis ad mortem uſque perfruiturum? Mihine polliceri poſſum, nullis adverſis, nullis calamitatibus interruptum iri, meliori vitæ meæ ſpatio, hanc poſſeſſionem? Corpus meum, quod illis frui poteſt, nonne ipſum quoque peribit? Bona igitur tua, pompæ tuæ, voluptates tuæ tecum pereant. Tu vero, anima mea, quia tu una non peribis, creata, ut poſſideas Deum, qui in æternum te beatam effecturus eſt, bona quære numquam peritura. *Ex Chriſtianis ſermonibus tomo 1.*

Scriptura pueros vocat qui hujus mundi bona quærunt, & amant.

Scriptura pueris comparat eos omnes, qui ſæculi amore capti ab hominibus ſapientes habentur, ab illis videlicet, qui æque ac ipſi ſunt inſipientes. *Uſquequo parvuli diligitis infantiam?* Prov. 1. Profecto quomodo pueri non aliam in mundo felicitatem eſſe arbitrantur præter eam, quam in puerilibus ludis, inanibuſque nugis inveniunt, ac ſe miſeros fore putant, ſi illæ ſibi auferantur: ita qui diligunt mundum, credunt, nihil niſi miſeriam, mœrorem, faſtidiumque illis ſupereſſe, qui bonis, voluptatibus, ſæculique ſolatiis orbantur. Dicendum eſt tamen has hominum, non ſecus ac illas puerorum cogitationes illuſione, & vanitate refertas eſſe, quoniam omnino oppoſitæ ſunt cogitationibus Dei, qui eadem veritas eſt. *Liber qui inſcribitur: Chriſtiana rudimenta in Epiſtolam Dominicæ tertiæ adventus.*

Inſanus amor mundi & voluptatum illius.

Nonnumquam noſtrarum nos tædet voluptatum; neque nobis placent eæ rationes, quibus nobiſcum utitur mundus, faſtidimus eas creaturas, quibus diu ſumus abuſi, fatigamur in via iniquitatis, atque inter hæc tædia, & hæc faſtidia ægre cor noſtrum ſuſtinemus; hoc impedimento nobis eſt, ac pene vellemus ea ſacrificare objecta, quæ tantam nobis nauſeam creant. Sed quamquam mundi hujus nobis pertæſum ſit, ab eo tamen numquam omnino avellimus animum. Reſpicimus mœrorem ejus exilii, cui noſmet addicere opus eſt, ſentimus pondus jugi, quod nobis ferendum eſt, agnoſcimus difficultatem virtutum, quæ ſunt nobis exercendæ, & requirimus hujus mundi, qui contemnendus eſt, jucunditatem. Hæc origo eſt humanorum tædiorum, quæ adeo frequenter deterrent homines, quibus aliquid religionis eſt reliquum. Sed alii, qui ſunt vilia mundi mancipia, nequaquam ſentiunt ſe prorſus ineffabilibus carere bonis, quæ Dominus præparat ſervis ſuis. Non æſtimatur jactura, quæ ſubitur, æternarum voluptatum; non norunt beatitudinem vitæ juſtorum inhærentem; non reſpiciunt finem, qui illos manet; neque attendunt, quod ita prætereunti inhærentes mundo non adlaborant cælum adepturi, neque ſalutem ſuam operantur. *Sermo manuſcriptus.*

Mœror animæ in morte, quod voluptuoſam vitā duxerit, & ſenſuum voluptates quæſiverit.

Guſtans guſtavi paululum mellis, & ecce morior. Heu! quam caro mihi ſtat pretio unius momenti voluptas, Jonathas dicebat! Funeſta dulcedo, quam feſtinanter

ſtinanter guſtavi, morte ipſa mihi luenda eſt. Pertranſiens guttam mellis delibavi, & *ecce morior*. 1. Regum 14. Quæ voluptas inanior, quæ dulcedo magis vacua ea, quam in profanis ſpectaculis, in ludis, in nimium liberis colloquiis, mundaniſque cœtibus guſtavi! Quænam amaritudo omnibus his gaudiis erat admixta? Numquid in illis aderat unde bonus ſpiritus aleretur, & cor chriſtianum repleretur? Mœrores, vel diſſimulati, vel leniti, nugæ, gaudium inane. *Guſtavi paululum mellis.* Heu! nihil minus guſtare poteram; *& ecce morior*, & hoc unum æternam mihi eripit felicitatem, meique eſt interitus cauſa. Moriens hæc omnia ſentit, hæc omnia dicit, & in his doloris, & deſperationis ſenſibus animam efflat. *P. Croiſet tomo ſecundo Receſſuum pro ſingulis menſibus.*

Omnis Chriſtianus eſſe debet a mundo diviſus, & quomodo.

Vos inter, & mundum ſeparationem ſtatuere debetis; ſi in mundo eſtis, mundi eſſe non debetis; conditionis veſtræ ſtatus in mundo vos retinet, & ſtatus veſtræ conditionis vos a mundo ſecernere debet. Nobiles eſtis, divites, filios habetis, quos inſtituatis; hæ rationes vos cogunt, ut in mundo permaneatis, dignitati, gloriæque familiæ veſtræ conſulturi. Sed alia vobis nobilitas adeſt, quod videlicet eſtis Chriſtiani, quæ cogitatio efficere debet, ut mundo abrenuncietis; ita enim intelligenda eſt ea, qua tenemur, obligatio, ne infringamus fœdus coram cœlo, terraque ad luſtrales aquas percurſum. Promiſſionem hanc per Confirmationis Sacramentum confirmaſtis; attamen quoties ejuſdem eſtis obliti? etenim nonne eſt illam oblivioni penitus tradidiſſe, vitam prorſus Mundanam ducere, ac ita mordicus mundo adhærere? *Biroat Sermone tertio, pro tertia Quadrageſimæ Dominica.*

In hujus mundi bonis nihil niſi afflictio ſpiritus invenitur.

Salomon nihil ſenſibus negavit eorum, quæ illis placare poterant: honorum, voluptatum, bonorumque ſatur in medio vitæ deliciis omnibus affluentis fateri cogitur, ſe in terris nihil niſi vanitatem, & afflictionem ſpiritus inveniſſe, & quidquid in mundo magis nitet, & allicit, eſſe illuſionem: *Vanitas, & afflictio ſpiritus, & omnia vanitas.* Eccl. 1. Et ſane quid aliud hoc in exilio inveniri poteſt? Mundus magnas pollicetur opes, honoreſque; at ex quo factus eſt bonorum omnium diſpenſator? Omnes, qui partes ipſius ſectantur, ingentibus obligat ſumptibus, & quinam fructus, quæ merces? Pax, & vitæ ſuavitas umquamne pars peccatum fuere? Mundus voluptates promittit, at numquamne mœrores, doloreſque impertit? Ullane in mundo voluptas extitit, non felle diluta; & quiſnam plures guſtavit, quem mox non pœnituerit? Mundus ſpondet honores, verum eorumne dominus eſt? quis honore ſe affici expectet, ubi omnia competitoribus, invidiſque ſunt plena? Meritum numquam fere ubi agnoſcitur, & minus adhuc mercedem nanciſcitur. Mundus opes pollicetur, ſed illi, cui poſt plurimas curas, ſudoreſque fortuna contigerit, ut theſauros congerat. Bona acquirere multis laboribus conſtat; quod vero tot laboribus eſtis adepti, mundus vobis contuliſſe dicendus eſt? Sed homini in mundo opibus diffluenti, quot pericula? Tandem vero in his aſſertis bonis, quæ propter fragilitatem labuntur, ullane ſtatui poteſt confidentia? Honores, voluptates, divitiæ, omnia fugiunt, omnia extinguuntur, omnia cum ultimo vitæ flatu evaneſcunt. *P. Croiſet tomo ſecundo Receſſuum.*

O cæcitatem! o mortalium dementiam! pati, ſe imaginariæ felicitatis, quam omnes ſibi proponunt mundi ſectatores, & quam nemo unus invenire potuit, illecebra falli. Gaudium, voluptas, affluentia, felicitas, ſpecioſa ſunt nomina, quibus utitur mundus, ut ſuos cultores decipiat; verum quid aliud ſunt, quam vacua nomina, quæ ſapienti viro imponere nequeunt? Quænam magis chimærica felicitas, quam mundanorum, qui æternum acribus agitati ſunt ſtimulis, tot dominorum, quot illi ſunt, quorum habere rationem tenentur, mancipia, ſemper magis famelici, quia umbras dumtaxat conſectantur, & vento paſcuntur? Quæ umquam ſervitus gravior, & miſerior? ubinam ergo felicitas tantopere oſtentata? ubi illa ſuavia bona, propter quæ mundani ſuperbiunt, ac ſtatui ſuo ſervorum Dei præferunt ſtatum? *Idem.*

Mundus vix non amari poteſt, licet illius vanitas, incoſtantia & perfidia agnoſcatur.

Mundus quiddam habet, quod allicit; nemo poteſt diffiteri. Vanus eſt, perfidus, deceptor: eos prodit, quibus blanditur, eos jugulat, quos amplectitur; fluxus eſt, præterit, labitur, mutatur, evaneſcit, peritura dumtaxat habet bona, umbras, phantaſmata felicitatis, quæ nos capiunt, & fallunt, atque in vera deſinunt mala: hæc omnia nimis vera ſunt, Auditores, nemo diffitetur; verum cum relinquendus eſt, in corde noſtro ſecreta latet cum eodem conſpiratio, quæ nequit infringi; de quantum placuerit, obloqui licet, ſed huc tandem redeundum eſt odium omne, quod in illum accenſum erat, extinguitur. Neſcio quænam illecebra rationem perturbet; amatur eodem tempore, quo ſpernitur: ſi non placet, oculos perſtringit; detinet, ſi minime ſatisfacit; ſi favoribus ſuis non remuneratur, promiſſionibus allicit. *Faſcinatio nugacitatis obſcurat bona*, ait Sapiens cap. 4. Neſcio, quænam ſit hæc vis imperioſa, quam in humanum cor habet, ſed magna profecto eſt; etenim poſt tot ſæcula, ex quo Sapientes quidem rationis, Chriſtiani vero fidei luminibus utuntur, mundus ſemper cultores videt catervatim coram ſe genuflectere. *P. Cheminais ſermone de Religioſa profeſſione.*

Quinam vocentur ſervi mundi.

Mundus plenus eſt quadam ſervorum ſpecie, qui eo ſunt calamitoſiores, quo ſe liberiores putant. Hic ſibi plaudit, quia proſpera utitur fortuna, ac altius progrediendi ſpem fovere poſſe ſibi videtur. Sed quam ſibi vim debet inferre! ſuis ſemper invigilare debet negotiis: aliis ad humilitatem uſque complacere; omnes pati curas, mœroreſque, quos dubiæ fortunæ ut plurimum gignunt, apertos inimicorum impetus ſuſtinere, ſecretas invidentium proditiones, improbas æqualium zelotypias, aculeatas inferiorum irriſiones, crebroſas dominorum libidines; cum interim eorum conſilia inopinatis revolutionibus, & ſecretis perturbentur non ſine divinæ providentiæ conſilio, quod ipſi fatum, vel fortunam appellant, & quo in æternum ab iis, quos ſibi propoſuerant, finibus arcentur. *Flechier, ſermone habito cum Religionis habitus virgini cuidam traderetur.*

Sancti Patres, atque ipſi etiam Ethnici Philoſophi numquam ſatis ſe loqui poſſe putant, cum de intolerabilibus vinculis, & catenis, quæ in ſublimiorum fortunarum poſſeſſione, atque perfruitione inveniuntur, verba faciunt. Ubique veras deplorant miſerias, labores, & amaritudines ſub inſignium, fulgidarumque dignitatum luce latentes. Integros implevere libros, & enumeratio ab illis inſtituta horrorem incutere poſſet illis, quos mundi amor faſcinat; ſed illis adhibeamus fidem, qui quod dicunt, experti ſunt, & de iis, quibus torquentur, malis queruntur. Ambulavimus, inquiunt, per vias difficiles, ſaxias, & tribulis aſperas, atque fatigati ſumus in via iniquitatis. Verum nonne quotidie ex iis, quorum fortunam cum admiratione, invidiaque ſuſcipimus, quoſdam videmus ſub magnitudinis ſuæ pondere gementes? *Abbas Verjus Panegyrico Profeſſ. Religioſæ.*

De mundi nihilo.

Tu, Domine, mundum hunc ex nihilo eduxiſti manu tua omnipotenti, & ne naturalis pulchritudo, qua illum decoraſti, fallacem in cordibus noſtris efficeret impreſſionem, nos docere voluiſti, quam indigna eſſet exiſtimatione noſtra, per aſſiduas vices, quibus eam tua providentia ſubjecit oſtendens eam nihilo inniti, nihilumque eſſe per ſe, quoniam eodem fere momento, quo naſcitur, interit. Profecto, Domine, quid eſt mundus; hic mundus cujus amore capimur, & detinemur; niſi flos, qui ſtatim areſcit, fructus, qui ubi ad maturitatem pervenit, excidit, arenæ pugillus, quam ventus rapit, imaginis in ſpeculo repræſentatio, parum fumi, juxta Spiritus Sancti locutiones? His comparationibus oſtendere nobis voluit Deus, mundum reapſe non pravum aliquid eſſe, ſed nihil, eas mutuatus ex iis, quæ in rerum natura minus ſolida inveniuntur. Sed quamvis mundi ſpecies, & quidquid nos allicit, quamvis voluptates, bona, honores, & fulgor ejus aliquid ſolidum eſſet, hoc tamen nihilum nobis eſſe deberet, quia diu illis frui minime poſſumus, & neceſſario nobis ſunt relinquenda. Hæc omnia nihil nobis ſunt, facti enim ſumus pro aliqua re majori, & magis permanente. *Auctor Anonymus.*

Mala, quibus vitæ hujus bona excipiuntur.

In Scripturis egregiam habemus figuram malorum, quibus vitæ hujus bona excipiuntur, in Jonathæ perſona, qui quod parum mellis guſtavit, mortem periculum ſubiit: *Guſtans guſtavi paululum mellis, & ecce morior.* Hoc experiemini, mortales, niſi jam eſtis experti, & quam primum fatebimini, mundum non offerre mel, hoc eſt, delicias ſuas non exhibere, niſi ut mortem infligat, neque amplecti, niſi ut jugulet, & fatale momentum aderit, quo & vos ipſi viciſſim clamare debebitis: *guſtans guſtavi paululum mellis, & ecce morior. Specimina ſermonum pro Dominicis, Dominica Palmarum.*

Mundi hujus bona, & voluptates contemnendæ ſunt propter earum brevitatem.

Merito dilectus Diſcipulus in Epiſtola prima cap. 2. egregia hæc habet verba: *Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo ſunt*, hoc eſt voluptates, opes, honores, omniaque pereuntia ſæculi bona, quæ mundani ita depereunt, ut ſe ipſos perdant. Verum ut illa contemnantur, ſatis eſt brevem eorum durationem conſiderare. Heu! quam fluxa eorum fruitio eſt! Primum enim eſſe nequit ipſa vita diuturnior. Quid autem hæc vita noſtra eſt? vapor, qui ad breve tempus apparet, ac ſtatim diſſipatur: cum autem ſemel nobis clauſi fuerint oculi, illos rurſus aperire nequibimus, ut iterum videamus bona, quæ dereliquerimus, iterumque eorum ſuavitatem guſtemus: atque ſi illis fidem adhibere volumus, qui hoc experti ſunt, fatebuntur, omnia bona, quibus, dum viverent, gaviſi ſunt, velut umbram pertranſiiſſe. Secundo ſi hujus mundi bona brevia ſunt ratione vitæ, quæ celeriter præterit, bona breviora ſunt ratione æternitatis ſemper manentis. Si enim mille anni coram Deo, illos æterna eſſentiæ ſuæ menſura metientes, ſunt tamquam dies heſterna, quæ præteriit, quid dicendum eſt de bono, quod paucis tantum manet diebus? nonne jure momentum vocari poteſt? Pro momento vero æternitatem, pro nihilo amittere Deum, nonne mira eſt inſania? nonne cœcus ſit ille oportet, qui rebus perituris inhæret, ſupremumque bonum, cujus duratio infinita eſt, aſpernatur? *P. Novet in homine orationis, receſſu primo.*

Mundi bona contemnenda ſunt, quia nullius ſunt pretii.

Quam inania ſunt mundi hujus bona! Deus illa inimicis ſuis maxime infenſis elargitur. Videte eos, qui majores poſſident opes, honores, dignitates, voluptates. Hi plerumque ſunt inſignes peccatores, & majori ex parte reprobi. Videte ergo quanti hæc faciat Deus. Quam inania ſunt mundi hujus bona! Terra univerſa cœlo comparata punctum eſt; & nihilominus ad puncti hujus particulam obtinendam, dies nocteſque laboribus exercentur homines, cruenta inferuntur prælia, fœdiſſimæque cædes peraguntur. Quam inania ſunt, iterum dico, mundi hujus bona! nomen, quod gerunt, non merentur. Bonum dicitur, quod bonos facit, quod fallacia bona facere nequeunt. Divitiæ divites faciunt, dignitates magnos, fama potentes; ſed neque opes, neque honores, neque exiſtimatio ſæculi facit meliores; ſæpe etiam ex bonis malos, ex malis efficit deteriores. *Idem.*

Mundus contemnendus eſt.

Quid eſt hic mundus, qui ad inſaniam uſque diligitur, qui nimium timetur, cui infinitis curis ſervitur, cujus ad ſcrupulum uſque diligentiſſima cura habetur? Hic mundus, de quo omnes queruntur, qui in omnes injuſtus eſt, qui nullam habet meritorum rationem, qui miſeris mundum replet, & nullis ſatisfacit, qui nullum habet famulum, niſi mancipium? Hic mundus, cujus ſenſus tot leges ſunt, ſæpe etiam recto ſenſui contrariæ, ac ſemper Evangelicis inſtitutis abnormes? Si mundus eſt phantaſma in imaginatione tantum ſubſiſtens, nonne inſipientes ſumus, qui ex alienis cogitationibus adeo incommodum nobis effingimus dominum, & qui ex propriis ideis formidabile idolum nobis imponimus? Si mundus hic aliquid reale eſt, quo jure leges adeo duras irrogat nobis? a quo hanc auctoritatem accepit? quo fato illius ſervi ſumus? Profecto cum ab omni cupiditate vacui ratiocinamur, ac nullo præjudicio occupati, cum propius inſpicimus, quid ſit iſte mundus, contra noſmetipſos indignamur, quod tamdiu illum in honore habuimus, ac tamdiu ejuſdem fuimus ludibrium. Hic mundus, qui tantum habet imperium in hominum mentes, & corda, proprie loquendo non alios habet ſectatores, quam tumultuoſam hominum varii characteris, variique ingenii turbam, quibus cum Jeſu Chriſti dogmata minime arrideant, non aliud ſpectant, quam ſuas utilitates, non aliam ſequuntur normam, niſi ſuas cupiditates, non aliud votorum habent objectum, quam vitæ hujus bona, honores, & voluptates. *Pater Croiſet in ſpiritualibus conſiderationibus cap.* 1.

Quid ſit hic mundus, & ex quo hominum genere conſtet.

Mundus magnum theatrum eſt, ubi homines ſibi ultro citroque fabulam exhibent. Hic ridiculam agit ſcenam, qui putat, ſe omnibus eſſe admirationi; & qui alios miſeratione dignos putant, ſæpe magis contemptibiles ſunt, atque contempti. Ibi libere regnat juvenum inſanorum congeries, ac mulierum, quarum exiſtimatio ſaltem nutat. Hæc corruptorum ſpirituum congregatio abſolute judicat, & pro libidine, vel damnat, vel probat; atque hi cenſores ſunt formidabiles, qui a ſapientibus etiam metuuntur; hi imaginarii ſunt domini, quibus boni etiam diſplicere verentur. Hic ille magnus mundus eſt, qui fortunæ mortalium, ſi illi fides habetur, humanæ felicitatis arbitrium ſibi vindicat. Hic mores mutat, regit officia, ſumptibus fines ſtatuit, atque omnia ſua probat auctoritate. Ratio ſæpe illius libidini, religio vero ejus cupiditatibus cedit. Durus in levibus, immitis in ea, quam exigit, ſervitute, quidquid fit pro nihilo habet, licet omnia illi devoveantur. At quis inde fructus percipitur? Quoties poſtquam multum adlaboraveris, nullam tibi habet gratiam: Annos integros illi ſervies, te ipſum torquebis, patieris, quin ille ne intelligat quidem: & licet tibi e voto contingat, ut illi placeat, quænam tibi cedit utilitas? *Idem.*

Mundi voluptates nihil habent ſolidum nobiſque ſatisfacere nequeunt.

Voluptas eſt lætitiæ ſenſus, quem in anima excitat præſentia boni, quod ab eadem habetur pro bono. Hæc autem voluptas tunc ſolida eſt, cum ex bono, cui ſoliditas ineſt, proficiſcitur. Bonum fallax facere non poteſt lætitiam veram; illius illecebræ mora evaneſcunt, illuſiones ejus diſſipantur; cum voluptas præterit, tunc mens, animuſque ſentiunt inane earum rerum, quæ ſolidæ non ſunt. Cupiditas fruſtra ea repræſentat bona, quæ non aliud habent, quam ſpeciem; ſerius, ocyus ratio detegit per ipſas nebulas nihilum earum, & anima amaritudinem dumtaxat invenit, ubi cupiditas tantam illi pollicebatur voluptatem. Hinc oriuntur turbæ, & mœrores illi præter voluntatem, quos omnia minus diſſimulata mundi gaudia lenire non poſſent, inde adverſa, & inviſibiles cruces, quæ hominibus, quorum ingenium alacre, lætumque eſt, triſtitiam offundunt, & quæ efficiunt, ut mundi ſectatorum felicitas jure chimæra dicatur . . . . Quemadmodum Deus unus cor noſtrum replere poteſt, ita ille unus votis noſtris poteſt ſatisfacere; aliud quodvis objectum ſollicitat, fatigat, ac neceſſario nauſeam adfert conſcientiæ. Deus unus animam replere poteſt, illius ſedare motus, ſollicitudines, ac turbas, quæ in ipſa oriuntur. Qualibet alia re adimplere coner infinitum cordis mei vacuum, Sanctus Auguſtinus ait, nihil invenio, quod illam æquare voluptatem poſſit, qua Deo ſerviens perfundor. *Idem.*

Mala iis, ferenda, qui mundum ſequuntur.

Quænam ſunt mala, quæ mundi ſectatores ferre coguntur? Heu! omnia concurrere videntur ad eorum miſeriam, quin illis conqueri liceat. Aſſiduæ, graveſque curæ, quæ ab eorum conditione ſeparari non poſſunt; ambitio, zelotypia, cupiditas, quæ inexhauſti ſunt fontes dolorum, ſollicitæ vitæ tumultus, nutantis fortunæ timores, mobile, variumque eorum ingenium, quorum diligenter habenda ratio eſt, & quorum pleriſque placendum eſt, ſexcenti acerbi caſus, qui imminent, & qui nullo pacto præverti poſſunt, temporis infelicitas, quæ nequit evitari, gradus, qui quocumque pretio ſuſtinendus eſt, competitorum multitudo, invidentium improbitas, cor ſemper agitatum, ſpiritus inquietus, impedita conſcientia. Heu! nequaquam tot malis opus eſt, ut homo infelix fiat; quæ tamen omnia ſimul conjuncta in conditione eorum, qui ſæculo ſerviunt, inveniuntur. *Idem.*

Mundi proſperitatum, honorumque vanitas.

Mundanæ dignitates, quam parum ſolidæ eſtis! magnificæ fortunæ, quam fallacem fulgorem effunditis! Sæculi divites, quam non invidenda veſtra conditio eſt, ut Chriſtianum decet, cogitanti, ac ratiocinanti! Fulgor, qui ſæpe eminus tantum nitet, ingens rumor cordis tranquillitati parum aptus; vana felicitatis idea in alieno dumtaxat conceptu exiſtens; inutiles ſumptus; ſolatia arte parata, fœcunda mœrorum, & amaritudinum cauſa. Conditio veſtra divites, & nobiles mundi alioſne redditus habet? *P. Croiſet, tomo* 2. *Aſceticarum conſiderationum?*

Mortales non ita felices vulgo ſunt, ut creduntur.

Mortalium mundo inſervientium conditio ſatiſne beata videtur? Illine ſe ipſos beatiores, melioremque partem ſortitos putant? Mundus utraque manu ſectatoribus ſuis bona elargitur? ſtatus hic plurimum præbet ſuavitatis? ibi magna tranquillitate homines perfruuntur? ſaltem ullane ibi ſat bene certa ſpes invenitur? Externa hæc ſpecies adeo ridens, quæ omnes homines allicit, neminemne fefellit? Viæ iſtæ adeo ſtratæ, ac florentes moleſtoſne terminos habent? dies omnes ibi ſereni ſunt, & tranquilli? Scire hujus rei veritatem non eſt difficile. Quamplurimi certa nuntiare poſſunt. Ex tot mortalibus, qui mundum ſequuntur, num aliquem cœpti pœnituit? Heu! pauci immo ſunt, qui de ſtatu ſuo non querantur; pauci, quos optionis ſuæ non pœniteat; nemo, qui non fateatur, nullam in vita conditionem eſſe, ubi minus ſolidæ voluptates guſtentur, ubi plures perferendi ſint dolores, ubi ſalus in apertius periculum adducatur. Omnibus affectionibus ſuis, quas mundus fovere non ceſſat, homo traditus quos inter tumultus dies ſuos traducit! Ambitio ſine termino, cupiditas ſine frœno, zelotypia, diſſimulatio, odium, iracundia. Quæ conditio, quod munus, quis gradus in mundo tutus eſt a procellis, quas malæ cient cupiditates, & a ſcopulis, in quos ſplendidiſſimæ fortunæ ſingulis diebus impingunt? *Idem.*

Totus mundus plenus eſt laqueis, omnia nos tentant, & in damnationis periculum adducunt.

Quidquid in mundo eſt nos tentat, omnia innocentiæ ſtruunt inſidias, aer ipſe, quem ſpiramus, contagione non caret. Virus per aures, oculoſque ingreditur; pauca objecta non ſunt præſtigia venefica. Hic humanus reſpectus vetat bene operari, illic malum exemplum nos in vitium ſollicitat. Facilene eſt prava repellere deſideria, ubi quodcumque nova ſemper excitat? Iis, qui mundum ſequuntur, uſitatumne eſt inter has pravas cupiditates morum integritatem tueri?

Publica hæc via, de qua loquitur Evangelium, ubi myſticum cum gratiæ ſemen illico vel teritur pedibus, vel ab avibus rapitur, aliudne ſignificat, quam mortalium ſtatum, ubi negotiorum impedimenta, curarum multitudo, affectuum vigor ſaluberrimas ſuffocant inſpirationes? Verum quis melius, quam mundi aſſeclæ, ſtatus ſui difficultates, ac miſerias novit? Quanam eloquentia dolorum ſuorum cauſas enarrant! qua emphaſi pericula exaggerant, triſteſque caſus deplorant! Quæ umquam deſcriptiones magis ad vivum expreſſæ, quam illæ, quibus ea referunt, quæ ſibi ferenda ſunt, ac metuenda! *Idem.*

Gaudiorum, & voluptatũ mundi vanitas.

Vanitas vanitatum, inquit Eccleſiaſtes. Quidquid ſenſibus noſtris blanditur, quidquid noſtram fovet ambitionem, vanitas eſt. Rex fui, ſubjicit ille, & Regum nemo magnificentia me vicit, nemo perfectiori gaviſus eſt proſperitate. Voluptates, opes, ſervorum cohortes, palatia, quidquid eſſe potuit meorum deſideriorum objectum, plurimum contulit, ut voti compos evaderem: *Omnia quæ deſideraverunt oculi mei, non negavi eis; nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur.* Eccl. 2. Ulluſne fuit beatior? ullane extitit fulgidior fortuna? Verum ipſum audiamus: *Vidi in omnibus vanitatem*, exclamat, *& afflictionem animi.* Intellexi in mundo nihil eſſe, niſi vanitatem, & afflictionem ſpiritus: nobilitas, dignitas, opes, magna nomina, *omnia vanitas. Idem.*

Nonnumquam de inſatiabilitate deſideriorum auditur querela; ſed potius audienda eſſet de fragilitate bonorum, quæ deſiderantur, & nos explere non valent: ager, munus, officium nimis anguſta fortuna eſt, neque ſatisfacere poteſt cordi ad objectum longe præſtantius facto. Ego unus, Sapiens ait, plures collegi theſauros, quam omnes ſimul Reges: tranquille iis rebus omnibus gaviſus ſum, quæ voluptatem poſſunt adferre: ea omnia guſtavi, quæ placent, & hæc omnia non profuere, niſi ut intelligerem, præſtantiſſimam quamlibet in terris fortunam inanem eſſe fulgorem, & quidquid præ cæteris in mundo nitet, nihil eſſe, niſi vanitatem, & ſpiritus afflictionem; *Et gaudio dixi, quid fruſtra deciperis? Idem.*

Mors alluſi vita ſomno ſimilis.

Mundo inſervientium vita proprie vita vocari non poteſt, ſed potius ſomnus morti ſimillimus. Illam ſub hac imagine Regius Propheta Pſalm. 75. nobis exhibet cum ait: *Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil invenerunt viri divitiarum in manibus ſuis.* Noſtis, per ſomnum omnes animæ facultates, non ſecus ac corporis, eſſe quodammodo alligatas, atque ſuſpenſas, & ſolam imaginationem ſua ſecum phantaſmata, imagineſque verſare. Hæc nos ad dignitates attollit, theſauros aperit, conviviis præſentes efficit, ſexcentis replet deliciis, ſed ubi expergiſcimur, omnes iſtæ illuſiones evaneſcunt, noſque invenimus æque abjectos, & miſeros, æque eſurientes, ac triſtes, ac antequam oculos ſomno clauderemus. Hæc eſt mortalium hujus mundi figura. Ratio, quæ jugiter attolli deberet ad cæleſtium, æternarumque rerum contemplationem, alto quodammodo ſepulta ſomno jacet; ita ut animalis, abſit verbo invidia, anima ſola vigilet. Hoc efficit, ut inanibus tantum occupentur deſideriis, inutilibus ſe ipſos fatigent perquiſitionibus, ac tandem omnem requiem, & felicitatem ſuam in incerta fallacium voluptatum, inaniumque vitæ hujus bonorum perfruitione conſtituant. *Liber, qui inſcribitur: Colloquia Abbatis Joannis, & Euſebii Presbyteri.*

Imagines, & exempla funeſtæ pacis mortalium in voluptatibus ſuis.

Nihil, mea quidem ſententia, magis terribilem adſtruere poteſt ideam ſtatus, in quo inter noxias voluptates mundi ſectatores verſantur, quam quod nobis proponit Scriptura Lazarum in ſepulcro quatriduanum deſcribens. Docent Patres hujus hominis mortem, ac tumulum, ubi inter vermes, tabumque dormiebat, imaginem eſſe pernicioſi illius ſomni, quo peccator obrutus eſt, & figuram funeſtæ quietis, qua inter ſua crimina gaudet. Alteram æque admirabilem in Siſaræ perſona figuram deprehendimus. Noſti, infelicem hunc virum, quem graviſſimus fugæ labor exhauſerat, ſumma cum voluptate epotaſſe lac a Jaele ſibi propinatum, gravatumque ſomno, ac ſuper terram proſtratum in utramque aurem obdormiiſſe. Sed quanto hoc illi lac, ſomnuſque pretio ſteterunt! generoſa etenim virago altiſſimi ſoporis illius tempus nacta caput ingenti clavo transfoſſum affixit humi, in qua tranquille adeo quieſcebat. Peccatum, inquit Scriptura, eſt tamquam dulce lac, quod impii bibunt, & quo avidiſſime replentur. Sed lac iſtud venenatum eſt, vaporeſque habet adeo malignos, ut illud pene guſtaſſe ſufficiat, ut in pernicioſum illum ſoporem, de quo modo locuti ſumus, fiat lapſus. Humi dormiunt, cum in fallacium voluptatum perfruitione quieſcunt, ibique clavo quodammodo confixi ſunt, cum conſuetudo adeo fortiter alligat, ut cum nulla re inde valeant ſeparari, ex lethargico hoc morbo in æternam mortem deſcendant. Cum vix ſopore capti ſunt, haud ægre fortaſſe poſſunt excitari, ſed cum ſomno veluti inſepulti ſunt, certum eſt, illos inde excitari non poſſe, niſi potenti ea voce, quæ olim e ſepulcro Lazarum evocavit. *Idem.*

Hujus mundi bona homines felices facere nequeunt.

Fruſtra ſæculi mortales ſperant, ſe in hujus mundi bonis veram felicitatem inventuros. Acquiſitio, conſervatio, augmentum divitiarum nonne ut plurimum violentiæ, & injuſtitiæ effecta ſunt? Aliquidne eorum poſſeſſione incertius eſt, & incoſtantius? nonne hic funeſtus eſt fons malorum omnium, quæ in terris accidere conſpicimus? Honor eſtne pretium virtutis? Hujus quidem veluti umbra eſt, Vetus quidam ait; at hæc umbra ſemperne ſequitur corpus? Meritorum magnitudo ſemperne eſt dignitatis menſura? Honor, ut verbo me expediam, certa nota eſt, & glorioſus character, quo viri probi ab improbis ſecernantur? Aliquidne ibi indignius eſt nobilitate, ac magnitudine animæ noſtræ, quam corporearum amor voluptatum? Earum perquiſitionem nonne ſemper inquieta ſollicitudo, ac jugis mœror ſubſequitur? Earum complementum nonne in dedecus, nauſeamque decidit, & jactura illarum nonne dolore excipitur, & triſtitia? De felicitatis eſſentia eſt, a nullo pendere, æternam eſſe, interiorem, tranquillam, incorruptibilem. At ſi mortales fatentur, ne unam quidem ex his qualitatibus in bonis, honoribus, & voluptatibus inveniri, quomodo ibi ſuam ſperant felicitatem inventuros? *Idem.*

Terrenarum rerum mutationes ad immutabilis æternitatis cogitationẽ debent traducere.

Maximæ quælibet fortunæ, & quæ præ cæteris fulgent, ſæpe ſubitis, celerrimiſque mutationibus ſunt obnoxiæ. Si hæc veritas licet maxime conſtans, parum nota eſt, hoc præjudiciis acceptum referendum eſt. In vanitate, & mundi amore naſcimur, in hoc adoleſcimus, innutrimur, roboramur; in eodem ſine conſcientiæ ſtimulis vivimus, neque errorem intelligimus noſtrum, niſi cum malum conſummatum eſt, & cum nulla medicinæ ratio, vel tempus ſupereſt . . . Profecto ſe ipſum fallit, ſimulque in deplorabili cæcitate vivit, qui aliquo ſe in pretio oſtendit habere ea, quæ ſtatim ac apparent, evaneſcunt, eaque contemnit, quæ numquam ſunt interitura. Æternitas ſola hominis ſcientis unam eſſe tota eſſe deberet occupatio: quomodo vero curas ſuas impendere iis poteſt, quæ cum illa nullam habent rationem, & quæ ad eamdem nos adducere nequeunt? . . . . Mundus præterit, accedit æternitas; atque in quæſtu ponere debemus ea omnia, quæ ad æternam felicitatem acquirendam nobis Deus præbet, adminicula, ne ita miſeri ſimus, ut vacuis manibus ſterileſque inveniamur, cum uberem ille a nobis meſſem repoſcet. *Abbas Trappenſis, tomo primo Chriſtianorum dogmatum.*

In mundo cõſtanti pace gaudere non poſſumus.

Cum mundus plenus ſit moleſtis, acerbiſque caſibus, fieri nequit, ut ibi pacis, & conſtantis quietis momentum inveniatur, niſi inde egrediamur, niſi ad Deum noſmet attollamus, niſi illum cordis noſtri ſenſus in altero mundo inquiramus. Hoc malum eſt, quod illi, quibus hoc perſuaſum eſt, animum appellere nequeunt, ut ſibi vim faciant, ut ſeſe terrenis curis, & cogitationibus expediant, quamvis ſciant, & quotidiana erudiantur experientia, eas ſibi præbere non poſſe, quod ipſi maxime cupiunt. Hæc quædam faſcini ſpecies eſt, quam infringere non valent, quæ toto vitæ eorum ſpatio viget, & cui non niſi cum dolore finem imponunt, eo quod tempus, affectiones, perſonaſque ſuas illi impenderint rei, quæ ne minimum quidem curarum ſuarum momentum merebatur. *Idem.*

In mundo nihil niſi dolor, & calamitas eſt, nulla vera voluptas.

Ullane ſolida voluptas inveniri poteſt in mundo inter tot infortunia, quæ gaudia, conſilia, ſpeſque noſtras perturbant? Quot ibi inevitanda pericula, morbi cum graviſſimo dolore conjuncti, jacturæ moleſtæ, acerbæ curæ, incommoda officia, & occaſiones afflictionem afferentes? Ipſa harum rerum enumeratio tædium afferret, quid autem illas pati? Statim ac aliquo expediti ſumus negotio, altero impedimur; hujus finis initium recentis eſt, cumque poſt multos exantlatos labores aliquam adepti ſumus requiem, hæc tranquillitas eſt, quæ ubi affulſerit, ſtatim evaneſcit. Tandem enim qui perfectam hoc in mundo pacem ſibi pollicetur, vehementer errat. Rex me ſua gratia dignatur, dicebat olim ſuperbus ille Aulicus Aſſuero Regi gratioſus; novis quotidie me cumulat beneficiis, primum in imperio gradum teneo; attamen tanta in rerum omnium affluentia, nihil poſſeſſurus mihi videor, donec Mardorchæum Judææ gentis hominem præ foribus regiæ domus ſedentem videbo: *Et cum hæc omnia habeam, nihil me habere puto &c.* Eſth. 2. Hac in figura omnes mundi ſectatores exhibentur, docemurque in rebus maxime proſperis, non deeſſe aliquam ſecreti mæroris cauſam, quæ virus admiſcet eorum ſuavitati, & quæ hujus aufert perfruitionem. Quod ſi perfecta, & ſine ulla doloris mixtura, felicitas inveniretur, humanus ſpiritus adeo anguſtis finibus circumſcriptus eſt, ut eadem frui minime poſſet. Nos docet experientia, ubi veris ille caret curis, fictas ſibi comminiſcitur, atque inſanis prævIſionibus, importuniſque timoribus ſæpe ſe miſerum facit, cum eſſe deberet feliciſſimus. Ne ſperemus igitur, nos impoſterum magis contentos fore, quam hactenus fuimus. *Specimina ſermonum pro quarta poſt Epiphaniam Dominica.*

MUNDUS.

Mundi flagitia; mundi placita; pericula pereundi in mundo; amor mundi.

MONITUM.

NON fert animus, hoc in loco ea ſolum flagitia referre, quæ in mundo graſſantur, & ſcelera, quæ committuntur, ſed oſtendere eo modo, quo mortales mundi ſectatores vitam traducunt, ſaluti ſuæ conſuli nequaquam poſſe, quoniam leges, & placita, ſecundum quæ ſuos mores componunt, legibus, præceptiſque Evangelicis prorſus adverſantur. In variis deſcriptionibus vitiorum mundi, quæ in hac collectione afferentur, damnabitur vita duplicis hominum generis, quorum alii ſeſe vitiis abdiderunt, & in aperta licentia verſantur, alii modum aliquem ſervant, a gravioribus quidem vitiis, effuſiorique abſtinent libidine, & qui hac moderationis aura defenſi honeſti viri habentur in mundo, cujus placita, moreſque ſequuntur, ambitioſi, amore proprio animati, ad leviſſimam quamlibet injuriam in iras erumpentes, atque idololatræ nominis ſui, cui cætera ſacrificant. Hæc duplex eſt mortalium ſpecies, quibus mundanorum nomen tribuitur, quorum inevitabile damnationis periculum, niſi reſipuerint, oſtendendum eſt.

Argumentum hoc nimis late patere videbitur, ſi de ſingulis vitiis, placitiſque ſeorſim inſtituatur ſermo; ideoque ſumma capita attingenda ſunt, quæ in triplici continentur concupiſcentia, de qua loquitur S. Joannes. Sed evitari non poteſt, quominus oratio ad alia dilabatur argumenta, quæ cum hoc nexum habent, qualia ſunt pravarum ſodalitatum fuga, proxima occaſio peccati, vita mollis, aliaque plura particularia flagitia, de quibus hoc in opere ſermo fuit. Verum quin illa conſulenda ſint, hoc in titulo ſatis ſuperque copia ſuppeditabimus, unde plures inſtitui poſſint conciones.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Concionum hujus Argumenti Synopſis.

I. POſtquam conſtitutum, explicatumque fuerit, quid ſit mundus, quem fugere, & odiſſe, cum quo nullam ſocietatem, ac neceſſitudinem inire, tenemur; eſſe videlicet eorum conſuetudinem, qui in vitiis volutantur, & ſecundum ſæculi placita Evangelicis, diviniſque legibus oppoſita vitam traducunt; pro argumento, & partitione concionis hæ duæ deſumi poſſunt propoſitiones. Prima eſt, nihil in mundo exiſtere, quod Chriſtianum in ſalutis diſcrimen minime adducat, niſi corde ſaltem, affectu, moribus, vita ab eodem abhorreat. Altera eſt, nihil eſſe in Chriſtiano, quo non teneatur mundum fugere, & odiſſe, ſi velit ſaluti propriæ conſulere.

Quod ad priorem ſpectat propoſitionem, tres afferri poſſunt rationes, quibus probatur, nihil in corrupto hoc mundo inveniri, quod nos corrumpere nequeat: 1. pravum exemplum, quod inſtar torrentis eſt, cui pauci reſiſtunt, & qui fortiſſimum, ac robuſtiſſimum quemlibet ſecum trahere poteſt. Exemplum vitia, & ſcelera ab oculos ponens illa efficaciter perſuadet, ſenſimque, & ſine ſenſu inſpirat in animum, ita ut vix, & ne vix quidem poſſint evitari. 2. Propter nefarias, pernicioſaſque ſententias, juxta quas mundi ſectatores ſuam vitæ rationem accommodant. Quænam illæ ſint, ubi de fortunæ bonis, honoribus, & voluptatibus agitur, & ad quas cæteræ referuntur, nemo unus ignorat. Quomodo autem in mundo, ac inter mundi amatores vivere poſſumus, quin illius leges, mores, & conſuetudines ſequamur? Sed cum hæ leges divinis adverſentur, & hæ ſententiæ Evangelicis opponantur inſtitutis, quomodo cum ſalutis noſtræ ratione conciliari poſſunt? 3. Propter ſermones, judicia, cenſuras, irriſiones, quibus excipiuntur a mundi ſectatoribus illi, qui diverſam ſequuntur ſententiam, quod jure vocari poteſt virtutis perſecutio, efficitque, ne plurimi hanc profiteantur; quam ſi quis amplectatur, difficile eſt, ne acerrimis, aſſiduiſque labefactetur inſultibus, quos mala inferunt exempla, pernicioſæ opiniones, & aculeatæ irriſiones, niſi a mundo ſecedat, & hoc pacto ſuæ ſaluti proſpiciat.

Pars altera. Nihil eſſe in homine Chriſtiano, quo non cogatur a mundo ſecedere, hoc eſt mundum fugere, & odiſſe. 1. Si ſpectetur, quid eſt, & quid in ſe habet quatenus homo, infirmitas, & inconſtantia, affectionum vis, quæ ad objectorum, quæ ſunt in mundo, inflammantur intuitum; velut ille, qui exempli gratia in ambitionem pronus eſt, poteritne in pulvere repere, quin omnes induſtriæ nervos intendat, ut ſe attollat, & in turba eniteſcat? Si in avaritiam proclivis eſt, nonne omnem navabit operam, ut opes acquirat; cumque ſolus divitiarum amor culpa non vacet, nonne ſemper in damnationis ſtatu verſabitur, ſi in id unum incubuerit, ut quacumque via locupletetur? Cum vero homines incredibili trahantur vi ad ſenſuum volutates, quo pacto neceſſariam ibi ſervare poterunt mediocritatem, atque ab illicitis abſtinere in mundo, ac tot inter occaſiones, & objecta permanentes? Quomodo poterunt tot evitare laqueos, qui nobis ubique ſtruuntur, & quibus mundus repletus eſt? *Mundus totus in maligno poſitus eſt.* 1. Joann. 5. Sin autem hominem ſpectes, quatenus Chriſtianum, & id, quod per gratiam eſt, multo magis corruptum hunc mundum fugere, & horrere tenetur. 1. Quia hoc pollicitus eſt ſolemni profeſſione in Baptiſmo eam amplexus religionem, quæ illum cogit vitam inſtituere vitæ mundanorum prorſus oppoſitam. Verum poteſtne eorum præſtare fidem, quæ coram cœlo, terraque ſpopondit, quin ſecedat a mundo, hoc eſt a pompis, & operibus mundi, quibus, cum Chriſtianus fieret, abrenunciavit? 2. Quia quatenus Chriſtianus tenetur ſequi Salvatoris exemplum, qui prototypus eſt, cui ſeſe debet conformare, ut in prædeſtinatorum numero recenſeatur: *Quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis filii ſui:* ad Rom. 8. Verum Dei Filius ideo venit in mundum, ut illius placita everteret, quod verbo ſimul præſtitit, & exemplo. Chriſtianus igitur, qui illum ſequitur, eumque imitari profitetur, mundum reſpicere debet, tamquam ſibi infenſiſſimum hoſtem, ejuſque leges tamquam legibus Domini, Deique ſui prorſus oppoſitas. 3. Chriſtiani nomen, quod gerit, religio, cujus leges, præcepta, & cæremonias ſervare palam profitetur, nihil habent, quod ſpiritui mundi non adverſetur, & quod placita illius non avertat, quia humilitatem expoſcunt, mortificationem, ſui ipſius abnegationem &c.

II. Qui mundum, mundique ſenſus ſequuntur, & ad eos vitam componunt ſuam, apertiſſimum habent reprobationis characterem.

1. De ſua ſalute non cogitant vitæ hujus curis diſtenti, & in id unum incumbentes quomodo omnibus volutatibus perfruantur: 2. quam plurima committunt ſcelera, ſuis indulgentes effectibus, atque perfringentes leges Dei, ut ſecundum mundi leges, & placita vivant: